

Biogr. er. D

312



~~K. Cuv. 5109. 892<sup>b.</sup>~~











1148.  
ad 1149.



799.

Hist. litterar.  
— eruditior. v.
















DE  
ALDI PII MANVTII ROMANI  
VITA MERITISQVE IN REM LITERATAM  
DISSERTATIONEM NEC DVM EDITAM  
OBSERVATIONIBVS SVIS ILLVSTRATAM

---

PRO LOCO  
INTER ASSESSORES AMPLISSIMI ORDINIS  
PHILOSOPHICI RITE OBTINENDO

---

PVBLICE PROPONIT  
SAMVEL LVTHERVS GERET A. M.  
THORVNENSIS PORVSSVS  
ORDINI PHILOSOPHORVM ASCRIPTVS REGIAE GOETTINGENSIS  
SCIENTIARVM SOCIETATIS AMICVS IBIDEMQVE  
REGIAE TEVTONICAE SODALIS


---

RESPONDENTE  
GABRIELE GODOFREDO VOGT GEDAN.  
SACRARVM ET ELEGANTIORVM LITERARVM CVLTORE

---

DISPVTABITVR IN AVDITORIO MAIORE

D. VIII, AVGVSTI A. R. S. MDCCC LIII



VITEMBERGAE  
EX OFFICINA VIDVAE SCHEFFLERIAE



L. TANTA CIRCA NOS II. §. SI QUID AVTEM XIII. C.  
DE VET. IVR. ENVCL.  
OMNIVM HABERE MEMORIAM ET PENITVS IN NVLLO PECCARE  
DIVINITATIS MAGIS QVAM MORTALITATIS EST



ILLVSTRISSIMO  
EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO  
DOMINO  
CAROLO AVGVSTO  
S. R. I. COMITI AB REX  
DYNASTAE IN POBLES ET  
BLANKENHAYN  
POTENTISS. POLONIAR. REGIS  
ET PRINCIPIS ELECTORIS  
SAXONIAE  
ADMINISTRO CONSILIARIOQVE INTIMO  
ORDINIS RVSSICI ST. ANDREAE EQVITI  
RELIQVA  
DOMINO MEO INDVLGEN  
TIS SIMO



HANC

DIATRIBEN ACADEMICAM

PIETATIS SVBIECTISSIMAE CAVSSA

ANTIQA OFFICII FORMVLA

D. D. D

IMA PARENDEI LEGE CLIENS

M. SAMVEL LVTHERVVS GERET



COMES ILLVSTRISIME  
DOMINE GRATIOSISIME

**N**on sunt mihi rationes repetendae e  
longinquo, quibus ductus, splendore  
Nominis TVI, hunc qualemcumque  
libellum audeo ornare. Iam ab ineunte aetate,  
parentis, TVA singulari gratia recreati, cobor-  
tationibus sum excitatus, ad merita TVA, in  
republicam omnem, immortalia, summa uenera-  
tione prosequenda. Creuit ea mirifice Hannoue-  
rae nuper, cum facultas daretur, illustria uirtu-  
tum TVARVM, COMES ILLVSTRISIME, deco-  
ra, coram contemplandi, clientisque obsequio per-  
fun-



fungendi. Inde usque maxima flagraui cupiditate, hunc reuerentiae sensum publice demonstrandi, quam Aldi auxit exemplum, libros suos summorum uirorum personis dicantis. Dabis igitur ueniam, COMES INDVLGENTISSIME, ut, cum libello hoc, res spesque meas omnes, TVAE permittam fidei, simulque, cum aliud officii genus mihi non relinquatur, praepotens Numen precer, ut TE, reipublicae sacrae, ciuilibus, literataeque praesidio, Gentisque Illustrissimae continentibus accessionibus, saluum semper incolumemque tueatur.

Vitembergae, XV. Kal. Septembr.

cIo Io CC LIII







Non dubito, TE, cuius ad manus disputatio  
mea, \* nuper, introductionis loco, ad alias  
sequentes, in lucem missa, uenit, auribus  
meis infufurraturum, et illud PLAVTI-  
NUM: \*\* *tardior multo, quam corbitae in tranquillo mari,*  
*uenis;* et illud CHAEREAЕ, in EVNUCHO terentiana: \*\*\*

*fac, sis, -nunc promissa appareant,*  
*sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.*

TV, si didiceris, utrumque non fuisse εΦ'ημιν, ut cum  
EPICTETO \*\*\*\* loquar, facile, spero, aliter, nisi forte uel  
ipsum hoc, quod iam defendo argumentum, praestantia  
sua, tua mutauerit cogitata, senties. Eadem enim, quae  
\* 2 *biera-*

\* Exercitationis, uariorum de ARNOBIO AFRO eiusque theologia exhibentis  
iudicia, antelogium: de non contemnenda antiquissimorum inter Christianos  
doctorum scientia, Sectio I et II, habitae hic Vitemb. d. 29. et 30 Decembris  
anni 1752

\*\* Poen. III, I, 4

\*\*\* II, III, 19, 20

\*\*\*\* in eius enchiridio ab ARRIANO edito cap. I.





*hierapolitanus* inter τὰ ἔκ ἐφ' ἡμῶν refert, σωμαscilicet et οὐσα  
ἔκ ἡμετέρα εργα, ego affero, eademque, intellexi, esse  
κωλυτά, ut idem noster capite ait secundo. Namque pri-  
mo, alteram felicitatis, a ΘΑΛΕΤΕ \* descriptae, partem,  
quam eruditioni addidit, corpus sanum, amiseram, quod  
inter tria, a DEO expetenda, primo loco posuit ΠΥΘΑΓΟ-  
ΡΑΣ. \*\* Quis uero ignorat, quam coniunctissima esse cor-  
pus atque animum: neque unum sine altero, recte officio  
suo fungi posse; hominemque morbo laborantem, quam  
minime idoneum esse, ad res serias tractandas, eas quidem,  
quae in publicum prodeant, in primisque inquirendi stu-  
dium poscant euoluendique.

*Aegra suos menti semper caro denegat usus \*\*\**  
Igitur, cum THEOCRITO conquerendum:  
*ut libuit, non potui scribere,*

quod infirma, per quatuor, amplius menses, impeditus  
fui ualetudine, quo minus citius, quae debueram, ederem.  
Deinde dum forsan potui, non libuit, h. e. illas, quas se-  
qui oportebat dissertationes, differendi, multae uideban-  
tur causae, quarum potissimas commemorabo, quo iustius  
absoluar, ubi aliud compono scriptum, etsi hic libellus  
iucundior forte acceptiorque erit. Non profecto suscepti,  
atque publice promissi, poenitet instituti, cum uel illae, quas  
in ultima, dissertationis modo citatae, paragrapho, rationes  
attuli, me non inutili accingi labori, cuilibet persuadent.  
Potius, quantam hic personam tueri oporteat, uirorum  
doctorum, saepius, de eruditionis, in ARNOBII libris, the-  
sau-

\* LAERTIVS I, 11

\*\* ERASMVS apophthegm. L. VIII

\*\*\* Iac. BILLIVS in anthologia S.



fauro, magna ex parte, difficulter aperiendo, pronuntiata, satis edocebunt, adeo ut *iosephi* SCALIGERI in primis sententia, perquam caute, maximaque cum cura, incedendum in illo labore, postulet, qui, „ARNOBIVS, ait, \* „scriptor eruditissimus, neque magistrorum auribus commendandus.„ Igitur, modo in eo huc dum mea uersatur cura, ut omnem, adhuc laborem necessarium, apparatus, mihi comparem. Habeo non solum, praeter illam, \*\* in forma ordinis quarti, quae prodiit *Lugduni batavorum* 1651 cum omnium commentariis, e SALMASI castigatione, editionem ARNOBII, et illam ELMENHORSTI, quae charta maxima *bamburgi* 1610 edita est, et quam THRYLLITI fuisse, eius signum, libris suis semper addicam, prodit; uerum uenit etiam in manus meas prior illa, animaduersionibus MSCtis, quas scriptura SCHVRTZFLEISCHII atque, passim etiam, BERGERI esse, indicat, exornata, ex librorum, immortalis eiusdem BERGERI nostri, supellectile refertissima instructissimaque, \*\*\* una cum SALMASI in AR-

\* 3


NOBI-

\* in commentario, in priapeia diuersorum poetarum, Priapeis, *Patavii* 1664 8. editis, addito, ad carm. XXXI p. 142

\*\* Est etiam, hic *Vitembergae*, editio ARNOBII, una cum TERTULLIANO, a *renato laurentio de la BARRE*, Parisiis, cum obseruationibus non contemnendis, 1580 charta maxima, foras data. Quam ideo commemoro, quia, et in Psalms commentarium, et disputationum aduersus gentes libros, complectitur. ARNOBIVS noster, BARRIO idem esse uiderur, qui iunior ille, Psalmsorum illustrator, quod in primis contra SIXTVM SENENSEM ostendit. Et ipso hoc commentario *nihil breuius, nihil doctius* esse putat, quem PATINVS unicum illum esse librum dixit, quem sine fructu legerit. FABRICIVS in *biblioth. lat.* T. I. p. 729 meminit quidem editionis Commentariorum ARNOBII BARRIANAE, sed sine anno et loco, Ineque additarum aduersus gentes disputationum

\*\*\* uide complexum MSCtorum • • quondam *Ioannis Guilielmi de BERGER*, *Lipsiae* 1753 p. 11 et 31





NOBIVM MSCto commentario, quantum, morte ereptus, reliquit, qui, quomodo ab illo, quem FABRICIVS, *bamburgensium* olim polyhistor, HIPPOLYTO, a se 1718 edito, addidit, differat, aut cum eodem conueniat, non est dicere, siquidem frustra illam hic quaesueris editionem. Meus quinque implet plagulas, et unam modo, de praenominibus et cognominibus ueterum romanorum, continet obseruationem eruditam, ad illa uerba: ARNOBII *disputationum aduersus gentes*. At multo adhuc plura, ad ARNOBIVM, in pristinum restituendum, quae ualent, a nobis colligentur. Promissum nobis est factum, de illa ELMENHORSTI editione obtinenda, quam ipse hic uir doctissimus, omnibus fere paginis, obseruationibus MSCtis illustratam, reliquisse, non sine ueri specie, iudicatur. Spes quoque maxima adest, illam *romanam* editionem, nostram fore, quae b. *magni CRVSI, barburgensium* antistitis doctissimi, fuerat.\* Quin, ab eodem uiro doctissimo, et edita iam uirorum eruditissimorum, at rara, in ARNOBIVM, scripta, et, in eundem, inedita, collecta, quorum aliquando mentionem iniecit,\*\* et quae a SVIS adhuc asseruantur, in nostram bibliothecam peruentura, nondum desperamus. Postremum non possum non, in his rebus curiosis, indicare, me tandem exquisiuisse, num quid ueri insit illi, de ARNOBIO edendo, *ioannis WALCKERI, homi-*

\* uid. Catalog. Bibliothecae *Crusianae*, ubi p. 2. n. 17 ita : ARNOBII *disputationum aduersus gentes Libri VIII, Romae ap. Francisc. Priscianensem Florentinum, cura Fausti Sabaei Brixiaci 542 cum notis MSS. uariorum doctissimorum uirorum, editio rarissima. cf. V. R. CHRYSANDRI prolog. historico-literar. de singularibus Libror. M. CRVSI p. 52*


\*\* in *disputatione epistolica, ad eminentissimum et reuerendiss. Dominum christianum WORMIVM, dioeceseos Sialandicae in Dania episcopum, etc. de scriptis quibusdam integris, fragmentisque haecenus ineditis, quae in itinere gallico, anglico atque germanico, reperire contigit, et nunc in lucem publicam edenda parat, uirosque eruditos, ad conferendas symbolas, humanissime inuitat, Magnus CRVSIVS, clesnicensis V. D. M. Lipsiae 1728*



hominis *angli*, promisso, qui se possidere RIGALTI atque HVETI MSCta, in hunc ecclesiae doctorem, affirmabat. Ita est: uerum mors, cum ante hos circiter decem annos, huic interuenit consilio, eius et uirorum modo commemoratorum labores, MEADIO, illustri illi medico, traditi sunt, ab hoc uero, ante aliquot iam annos, redacti sunt in potestatem cuiusdam filii, theologi Doctoris, demortui nuper, SMALBROOKII, *Lichfeldiae* et *Couentriae* Episcopi, qui illos huc dum custodit, et num curae alius commissurus sit, nos adhuc suspensos tenet. Nos certe omnem ideo mouebimus lapidem, quemadmodum etiam, ut omnes huius auctoris christiani editiones, ad conferendas inter se, nobis acquiramus, quo tandem, post aliquot lustra, operam nostram superuacaneam non fuisse, appareat. Modo, ut nostro tempore philologi, antiquitatumque periti, symbolas dare et nobiscum communicare uelint, quid de hoc uel illo, huius ARNOBII, sentiant, uel emendando, uel illustrando, loco, publice, publico nomine, rogamus atque contendimus. Ex iis, quae dixi, iam iam uidebis, *lector humanissime*, sat graues mihi causas fuisse, retinendi consilii, praefertim, cum, uel me non monente, intelligas, nimis, nisi multis aliis ornetur rebus, ieiunam atque lectori molestam esse tractationem, quae tantum in colligendis uariorum hominum iudiciis, de homine quodam docto eiusque scientia, uersetur. Quod cum et meae uiderem euenturum dissertationi, et, opportune, in manus incideret, docta quaedam, pro ecclesiae Doctoribus antiquis, apologia, anglice scripta, quae meae nuper propositae, de iisdem, sententiae, frigidam suffunderet, statim in animum induxi, illam, in latinum conuersam sermonem, huic, iudiciorum collectioni, addere, simulque uitam auctoris, qui plane nobis, perinde atque ipsum eius scriptum, ignotus est, exponere.

ponere.





ponere. Ita uero inscribitur liber: *The apologies of IUSTIN Martyr, TERTULLIAN and MINUCIUS FELIX, in defense of the christian religion, with the commonitory of VINCENTIUS LIRINENSIS, concerning the primitive RYLE of FAITH, translated from their originals: with NOTES, for the aduantage chiefly of english readers, and a PRELIMINARY DISCOURSE up on each author. Together with a PREFATORY DISERTATION about the right VSE of the FATHERS by william REEVES, M. A. rector\* of Craneford, in Middlesex, London 1709. suo duobos uoluminibus.* Hoc ipsum propositum, laborem retardauit meum, dum non solum et temporis multum requiritur, donec ab hoc loco in *Angliam*, et ex hoc regno huc, *uitembergam*, nuncii perueniant, uerum etiam uniuerse, quam difficillime, in his talibus rebus, apud Anglos, aliquid effici potest. Non iniucundum lectoribus meis erit, hic quaedam, ex literis, ad nos scriptis, dare, quibus id extra omnem dubitationis aleam ponatur; \*\* quarum una auctorem habet in *Anglia*, altera in *Germania* quidem, uerum qui, multos annos, in *Britannia* uixit. Ita uero prior: „Nur wenige, „inquit, unter den Englischen Geistlichen bekümmern sich „um gelehrte Dinge, wohl aber um leibliche Einkünfte und „politische Sachen; daher man wohl zehn oder mehrere „nach einem Schriftsteller fragen mag; und keinem ist uiel- „leicht auch nur der Name des auctoris bekannt, sonder- „lich,

\* Plerumque *Rektor* dicitur esse, more nostro, *Superintendens*; uerum alium esse, edocebunt te, uiri doctissimi, et nuper *Pastoris Tunderae*, propter *Hamelam*, celebrem illam *Saxoniae inferioris* ciuitatem, M. Geo. *Wilhelmi ALBERTI Brieffe, betreffend den allerneuesten Zustand der Religion und der Wissenschaften in Grosbrittannien, im 3ten Theil p. 652*

\*\* Confirmat, idem, quamquam paucis, laudatus modo *ALBERTI, V. C. l. c. p. 547.* Imo, ut hoc addam, quanta, non solum generatim rerum exterarum, apud Anglos, ignorantia sit, sed adeo terrarum sui Regis germanicarum, et in politicis et in literatis rebus, supina negligentia, idem dabit *l. c. p. 584. seq.*




„lich, wo er schon uor einigen Jahren gestorben, und nicht  
 „erwann ein besonderes Auffehen mit seinen Schriften ge-  
 „macht hat.“ Posterior autem: „Man glaubt nicht, wie  
 „schwer es hält, uon solchen Engelländern, die nicht in den  
 „ansehnlichsten Würden gestanden, oder außerordentlich  
 „berühmt gewesen, ich will nicht sagen, eine vollständige  
 „Lebensgeschichte, sondern nur die vornehmsten Lebens  
 „Umstände, zu erfahren; ia man kan nicht einmahl, bey  
 „den noch lebenden, zu seinem Zweck kommen.“ Quod  
 inprimis, mirum in modum, expertus sum in RIVESIO meo,  
 dum, quem primum consulueram, de uita, fati scriptisque  
 huius uiri, ut aliquam faceret mentionem, haec rescripsit:  
 „Ich habe kaum uon einem nicht nur angesehenen Buch-  
 „führer hieselbst, (londini) sondern der auch noch gleichen  
 „nahmen hat, und noch überdies ein Anuerwandter des  
 „uerstorbenen Reeues ist, endlich mit mühe heraus ge-  
 „gebracht, daz Reeues 1723 gestorben seyn soll, und, außer  
 „der uon Ihm MCCVIII befoerderten Ausgabe der Apolo-  
 „logien Iustini Mart. etc. noch zwey kleine Schriften soll heraus  
 „gegeben haben; aber selbst dieser Anuerwandte wuste we-  
 „der gewis das Jahr, noch die Titel besagter kleinen Schrif-  
 „ten von Reeues anzugeben, - - Tanto maior mihi  
 mora fuit iniecta, breui tamen superanda, ubi per alios, qui  
 fidem mihi dederunt exploratam, uoti fuero damnatus.  
 Tanto uehementius quoque optandum, ut, uel tot Theologi  
 Ecclesiae Episcopalis, in Anglia, monumentis publicis, nomi-  
 nis sui memoriam, ad nos propagarent, quot ab obliuione  
 et silentio hominum uindicati sunt, a *danielle NEAL*, \* ex Pres-  
 byterianis, Independentibus et Brownianis, atque a *thoma*  
*CROSBY* \*\* ex Anabaptistis. Vir doctissimus, LEMKERVS,  
 qui

\* In history of the Puritans

\*\* in history of the English Baptist





qui aliquot egregia scripta anglica, nobis ciuitate germana donauit, \* id sibi, uti scio, proposuerat, ut uitas Theologorum Anglicorum ederet. Verum, quamuis hic fratrem habeat, londini habitantem, omnemque ideo adhibentem operam, ipsosque eruditos ibi quamplurimos in auxilium uocantem, tamen non potuit finem assequi propositum. Speramus tamen *Biographiam Britannicam*, quae nunc praela fatigat, quae nobis de Theologis britannis defunt, suppleturam. Haec, quae adhuc commemorauit, satis me purgabunt aequo lectori, cui nec liber singularis, *de ALDII PII MANVTII ROMANI uita meritisque in rem literatam*, mihi praeter opinionem oblatus, displicebit. Neque enim solum argumentum hoc, a nemine, quod sciam, singulari opera, pertractatum, satis erat, ad hoc opusculum quamprimum edendum; uerum imprimis, dum illud perlegeram, diligens, germana, limataque eiusdem elaboratio, cuius dignitatis opinio non mediocriter augebatur, cum eius cognoscerem auctorem, doctum supra uulgus uirum, adeo me stimulauit, ut, omnibus aliis sepositis rebus, orbi literato, opusculum, duplici dote, et propter se, et auctoris causa, se commendans, meo qualicumque labore susceptum, traderetur. Etenim, quam maxime illud CIRONIS \*\* huic dares libello, \*\*\* „uidetur, quidquid literis mandatur, id commendari omnium eruditorum lectione, de-  
„cere.“

\* u. c. Thomas Stackhouse Vertheidigung der Christlichen Religion, wieder die vornehmsten Einwürfe der heutigen Ungläubigen, 3 Theile

\*\* Tusculan. II, c. 4

\*\*\* de quo Io. Conr. ZELTNER, in correctorum in Typographiis eruditorum centuriae, uita Paulli MANVTII p. 331 „celeberrimi patris, non minus clarus filius; (Paullus) habuit enim genitorem ALDVM illum, cuius nomen maximo apud eruditos in honore est, ET CUIVS VITAM EDENDAM, VTI „E SILESIA SPES FACTA EST, ANXIE DESIDERAMVS



„cere. „ Certe, dum hoc scriptum reliquit auctor,  
 „reliquit, ut PLINII utar uerbis, *quatenus ipsi denega-*  
 „*tum fuit diu uiuere, aliquid, quo se uixisse testetur.* „ Est  
 uero auctor huius libri, *ὄν εν αργιοις, Christianus Theo-*  
*philus VNGER*, uerbi diuini in *Silesia* quondam admi-  
 nister: qui quidem, in ipso huius libelli titulo, se non,  
 nisi literis initialibus, C. T. V. nominauit, at, facili tamen  
 negotio, a me potuit inuestigari. Neque enim modo uerba  
 nostri, omnis historiae peritissimi, Io. Gottlieb KRAVSI \*  
 recordabar „*dedit doctissimus VNGERVS, magno meo et omni-*  
 „*um, quibus nota erat eruditio eius recondita, luctu, rebus*  
 „*humanis nuperrime ereptus, uitam ALDI, quae proxime, ut*  
 „*speramus, in lucem producetur:* „ Sed etiam memineram, me  
 uidisse alibi, \*\* inter VNGERI scripta, *Historiam Manutiorum*  
*pleniozem*, numerari, quamquam, ut nunc apparet, ALDI  
 tantum MANVTI, Senioris, haec est historia. Dignus est po-  
 lyhistor hic VNGERVS, qui maiorem, quam consecutus est,  
 dignitatem famamque inter eruditos meruit, ut eius infera-  
 mus hic uitam, quantam quidem consignatam habemus,  
 certe non satis politam, memores illius

αλκιμος εσθ' ινα τις σε και οψιγονων ευηπιη

Utar, hoc consilio, et *relationibus*, quae dicuntur, *innocuis*, \*\*\*  
 et IOECHERI V. S. V. industria, \*\*\*\* et literarum lipsiensium  
 testimonio: † ex quibus coniunctim, cum obseruationi-  
 bus aliquot, de eo exponemus

\*\* 2

Natus

\* in apparatu ad Paulii Manutii uitam P. I. §. 2. p. 3. Lipsiae 1719


\*\* in Vnschuldigen Nachrichten 1722 p. 309

\*\*\* l. c. p. 306 seqq.

\*\*\*\* im allgemeinen gelehrten Lexico, Tom. III. p. 1681

† Anno 1727 Part. I. p. 971





Natus est uir praestantissimus, maior meritis atque eruditione, quam fama et gloria, Christianus Theophilus. Gottlieb VNGER, kolzigae, in Ducatu Glogouienſi in Sileſia, parentibus de coetu, in Polonia, diuino, meritissimis, a C. 1671. d. 17. Nou. Liberalium doctrinarum studio permotus, Raudenae\* posuit earum fundamenta, atque in ludo publico clarius exsplenduit. Postea priuatim Fraustadii, in polonia, artibus, quibus puerilis aetas ad humanitatem duci solet, excultus, praetulit tamen scholarum aemulationem generosam, Budissae 1686, et 1689 Gorlitii, fideles naetus magistros. Hic tantum spei suae fructum cepit, ut anno ante, quam Lipsiam demigraret 1690 bis pro rostris sacris uerba faciens, expectationem, de se conceptam, longe superaret. Ingenio suo excellentissimo, memoriaeque etiam maiori, debebat, quod, non solum in linguarum quamplurimarum scientia probe uersatus, illam adiit academiam, sed etiam ibidem egregie Theologiam atque philosophiam addidicit. Duos tantummodo annos Lipsiae commoratus, in patriamque reuersus, mox 1694 Grosrinnersdorfum,\*\* in Sileſia, ad munera sacra obeunda, uocatus est, indeque A. 1708 ad duos insignes, in Circulo Ruezensi, coetus, Herrnlauerschüzam.\*\*\* Quicquid supererat  
tem.

\* in ducatu wolauienſi.

\*\* in ducatu lignicensi eiusque circulo Lubenensi.

\*\*\* ita in unſchuldigen Nachrichten l. c. commemoratur. Liceat hic paucis locorum, quorum sacris praefuit VNGERVS, naturam complecti, quo mecum uehementius admirere operam uiri, nunquam remissam, tot obeundis officiis parem. Scilicet Herrnlauerſitza et Rützena duae illae sunt ecclesiae, quibus datus est Pastor primarius, VNGERVS, nam habent etiam secundarium. Herrnlauerſitza uicus magnus est, Ruetzena autem, urbs Weichbildica, ut dicitur, in ducatu Wolauienſi, quae toti circulo nomen dat Rüzeneſis; quam HVEBNERVS geographiae a se editae T. III. p. 66, 67 falso Kuezen appellat, plane contra, nuper incepta, neue Europaeische Staats- und Reise-Geographie, Dresdae et Gorlicl prodiens, T. I. L. III. c. V. omisit, ita descriptam ab Henelio ab Hennensfeldt, in sileſiographiae Cap. VII. p. 748 n. CXXI: „Ruzen uel Rizen nobiliter et uetustius in  
in



temporis, sacris procuratis, animorumque curae singulari, non, ut uulgo fieri solet, otio, conuiuuiis, ludo, aliisque uoluptatibus tribuit, sed ad studia recolenda, linguas pernoscendas plures, librosque optimos uersandos, sumsit. Qua ductus discendi cupiditate, non solum, magno sumptu magnoque numero, bibliothecam sibi collegit, sed, stupenda prorsus diligentia, eam in succum sanguinemque conuertit. Cumque non ignoraret, quantas literarum cum eruditis commercium, in uario doctrinae genere, opportunitates praeberet, cum uiris, in Germania atque extra illam, doctissimis, inuit scribendi societatem, eamque tanta assiduitate aluit, ut haud pauca spissa uolumina epistolarum, linguis, latina, gallica, Italica, germanica atque Rabbinica, scriptarum, tam suarum ad alios datarum, quam ab aliis ipse missarum, relinqueret. Maiorem enim solito linguarum, hebraicae, chaldaicae, Syriacae, Arabicae atque Turcicae, quin gallicae, italicae, anglicaeque, sibi comparauerat cognitionem. Neque maximis parcebat sumtibus, rarissimos MSCtos libros rabbinicos obtinendi causa, ut uel ipsos doctos Iudaeorum magistros domi suae habuerit, doctumque adeo Turcam, quo usus est ad discendam linguam Turcicam. Praeter ALIQUOT SERMONES SACROS, INDICEMQUE TYPOGRAPHIAE Dyrthenfurtensis \* nihil fere publici iuris factum est.

\* \* 3

At

„in wolauiensis ducatu domicilium, a quo territorium peculiare suam traxit denominationem, A. 1628 a Ferdinando II fortius munitum, cum ancipiti belli „alea postea uarie iactatum, iam caesareum, iam hostilem militem excepit hospitem, nihil tamen, praeter ruinam, hospitio relinquentem.„ In hac uero statione uitae, non solum plurimorum, ad utrasque ecclesias, ex multis uicis, parochorum, curam habuit, sed, dum ducatus glogouiensis unum modo templum, Lutheranorum sacris dicatum, tum temporis habuit, etiam ingentem numerum hominum, ex finitimo ducatu Glogouensi, eiusque inprimis circulo Garauensi VNGERVS, suae fidei creditum, uidit

\* Quem etiam *αρωυμωος*, Musei librorum nouorum Part. VIII p. 691 et XIII, p. 91 inferuit





*At reliquit tamen aliis, diligentia dia noctuque continuata, quamplurima egregia subsidia, ipseque parata praelis habuit:*

- 1) *memorabilia de uiris eruditis, ex hist. liter. recentiori, collecta, 5. Vol. fol.*
- 2) *memorabilia de uiris illustribus, ex historia ciuili, collecta, 1. Vol.*
- 3) *Wagenseilii tela ignea satanae, altero tanto auctiora, et nouae operis editioni destinata \**
- 4) *Versionem Noui Testamenti hebraicam; quam tamen non absoluit*
- 5) *Uebersetzung und Widerlegung eines raren, in Portugiesischer Sprache geschriebenen, rabbinischen Laesterbuchs, wider die Christliche religion; neque hoc opus ad finem perduxit \*\**

*Vt nihil dicamus de Genealogia uirorum doctorum principum, superioris saeculi, quam in epistola ad amicum quendam promisit, deque eius Manutiorum pleniori historia. \*\*\* Amplissima uero eius Aduersaria, ad completam bibliothecam rabbinicam, qua fortuna sint usa, uel diligentissimus in his talibus WOLFIVS, Hamburgensium quondam decus, comperire non potuit; \*\*\*\* quod eo magis dolendum, quia ex quodam specimine*

\* hoc opus, ut WOLFIVS, in bibliotheca hebraica, Vol. III. in Appendice, ubi supplementum dat libri pestilentissimi, **מנוח קמח**, refert, b. SCHARFIVS, Theologus atque Philologus praestantissimus, apud fuidnicenses in Silesia, ex VNGERI accepit bibliotheca, qui deinde WOLFII illud esse uoluit

\*\* Anonymorum blasphema scripta Iudaica, in quibus, uel conferendis uel describendis, per integrum semestre spatium, uersatum se esse, mihi quondam scribebat b. C. T. VNGERVS, quae fuerint, praeter **מנוח קמח**, cuius speciatim meminit, non dixerim, scribit WOLFIVS l. c. Vol II. p. 1051. At, iam ex eodem WOLFIO Vol. III. p. 487, 488 disco, eadem esse, quae sub n. 3 et 5 attulerimus

\*\*\* Quae opera omnia, ad quem peruenerint, et an prodierint, quod dubito, dicere non possum

\*\*\*\* uid. b. WOLFII praefat. ad Tom. III. bibliothecae hebr.



mine intellexit uir doctissimus, fuisse fundamenta maioris ampliorisque operis, quam sit BARTOLOCCII bibliotheca. Illa tandem MSCta huius uiri iudaica, quae Ludouicus BOVRQVET in italia congefferat, illaeque supra commemoratae epistolae, quarum cum Polonis, Bohemis, germanis, italisque, iudaeis, commercium habuit, WOLFIO adiudicatae sunt, quae multum ei, in elaboranda bibliotheca sua hebraica, praestiterunt usum\*

Matrimonium iniit a. 1695, d. 20 aprilis, cum lectissima uirgine, Concordia Eleonora STOLLIA, quae, duaeque filiae, mortem mariti, parentisque desideratissimi, moerebant grauissime.\*\* Huius enim impetum tanto minus sustinuit, quod, e curru delapsus, inflicto uulnere, corpus antea debilitarat ita, ut continenti eius infirmitate laboraret. Diem obiit supremum 1719 d. 16 Octobr. natus annos 48. Funus, eius iussu, pompa caruit omni, publica oratione sacra cobonestatum, cuius nihil literis mandatum est.\*\*\* Ipse finem uitae praesentiens, monimenti inscriptionem sui informauit; plenam uero accuratamque eius uitae narrationem, deque eius eruditione, diligentia, atque fatis, dabit quidam, in Silesia orientali,\*\*\*\* libro, iam incepto, mox publici iuris faciundo Quae

\* Venerunt etiam quinque Decades Epitaphiorum Iudaicorum, ex Silesia, Polonia, Italia conquisitae, quae exhibentur in WOLFII bibliotheca hebr. Vol. III. p. 1167 seqq. ex VNGERI nostri apparatu, in manus WOLFII

\*\* de quo utroque momento uellem plane persuasus essem; dum non solum literae nuper e Silesia ad me datae, V. S. V. BVRGII, doctrinae et humanitatis omnis thesauri, ornatissimi pariter atque facundissimi oratoris, VNGERVM matrimonium iniisse negarunt, sed etiam illustris RITTERVS noster, qui beatum VNGERVM nouit; at WOLFIVS tamen, l. c. in praefat. T. III. se ab eius uidua scripta τὸ μακαρίτην petiisse, dicit

\*\*\* Quae est caussa, cur adeo pauca de Viro tam egregio sciamus. Neque Herrnlauerfiza aliquid comperire potui, quia non solum uarias mutationes subiit Herrnlauerfiza, siquidem iam quintum habet Vngerus successorem, florentis adhuc aetatis, sed etiam scripta Ecclesiae acta ibidem nihil continent de VNGERO

\*\*\*\* Quae tamen, ni fallor, nondum prodiit





Quae quidem sunt, quae, ex auctoribus supra laudatis, de VNGERO, huc transferre uolui

Reliquum est ut, quid in hoc opere, in lucem producendo, praestiterimus, demonstramus. Facile quisque ipse perspicit, ita hanc auctoris dissertationem comparatam esse, ut in ea ne uerbum quidem debeat immutari. Quoniam uero auctor, omnia una scripsit serie, et citata ex auctoribus uerba, in uariis linguis ipsorum, a suis non distinxit, quae legentem turbant ac remorantur, *primo*, id nobis negotii fuit, ut, quae uel ex aliis immiscuerat uerba, si imprimis multa erant, uel quae citauerat, sub sphis, quaeuis, ad loca sua, notata, apponerentur, ita tamen, ut nequaquam contextus sermonis ordo in auctore peruerteretur, qui facile, uno uel duobus tantum uerbis, seruari potuit. *Deinde*, totam dissertationem in *Sectiones atque sphas* diuidimus, *apposita unicuique sphae argumenti summa*, quemadmodum conspectus opusculi, ipsi praefixus, satis, credo, ostendet; de cuius rei usu, ut multa dicantur, non est opus, cum per se patet: addidimus quoque *numeros* libris in Sect. III. Catalogo indicatis. *Tertio*, nos ipsi obseruationibus qualibuscunque hunc illustrauimus libellum, id praeterea agentes, ut ex MAITTAIRIO atque WOLFIO \* addamus, quae forte ibi dilatata uideantur; quae omnia seorsim, post auctoris dissertationem, imprimenda curauimus. *Quarto*, ab instituto non alienum esse, putauimus, si, in fine totius operis, recudendam daremus, amplissimam illam explicationem prouerbi: *festina lente*, quam nobis *Erasmus Roterodamus*, in Chiliadibus  
Ada-

\* In annalibus Typographicis, edit. nouiss. 4. Tomis constanti, et Monumentis Typographicis, 2 Vol. 8. Quos, ut plures alios libros, mihi benignissime indulgit, Vir, literis literarumque amicis iuuandis natus, KAPPIVS, cuius erga me humanitatem, sicut publicis effero laudibus, ita perpetua colam obseruantia, precibusque religiosis, ut DEVS tantum *lipsiae* decus, quam diutissime uelit seruare

tabonq. mubna, tollit in, uoluit ead




Adagiorum a se editis, concinnauit, tum, quia in illa elegantem et omnibus numeris absolutam ALDI, et eius officinae commendationem, eiusque defensionem, habemus, tum, quia quam maxime in malos et perfidos inuehitur typographos. Denique id nobis curae fuit, ut ornaremus quoque hunc egregium prorsus libellum figuris aeneis, quam nitidissimis accuratissimisque. Prima est ipsius ALDI nostri effigies. Desumimus eam ex *Petri OPMEERI*, quem uere beatae memoriae dixeris uirum, *opeve chronologico*, quo, ex libris ALDI iunioris, translata uidetur, in quorum titulis ALDI, aui, imago intra annum 1570 - 1580 et ulterius, saepius posita est, cum hac inscriptione ALDVS. PIVS. MANVTIVS. R. Ipsa archetypa in his libris contulimus, in quibus, dum forma, et maiori et minori, imago nostri ALDI occurrit, itemque aetate, mox iuuenili, mox prouectiori, utramque seruauimus, ut in exemplo, a nobis huic dissertationi praefixo, uidere licet. Maior imago est ALDI nostri, in flore aetatis constituti, quod eo indicare uoluimus, quod a dextra conspicitur: minor imago ob oculos nobis ALDVM, quasi (en relief) forma excelsiore, senescentem, ponit, exeuntem ex hac mortalitate, (sur le retour) unde in sinistram prospicit. Voluimus quoque ornamentis, quae hanc nostri ALDI imaginem circumdant, frondibus nempe quernis, atque pampino, fyingiaque, ad eius studia, habitationem, uitaeque genus respicere. Altera uero figura, exhibet diuersa librorum MANVTIORVM insignia, breuiter, sed artificiose, ordine quodam, ob oculos posita; quibus adiunximus denarium illum TITI CAESARIS VESPASIANI AVGVSTI, ob similitudinem

\*\*\*

infignis





in signis ALDI, et huius numi partis auersae; et denique pulchrius et antiquius his omnibus symbolum: *delphinum gubernaculum ambientem*; quae omnia ad Sphum XVIII copiosius dicentur atque illustrabuntur. Haec sunt, quae nobis in hoc opere debentur, tenuia quidem, neque forte satis docta, at tamen, ut speramus, non inutilia, neque iniucunda. Iam, lector humanissime, ipsam ALDI uitam contemplare, meritaque eius, de graecis praesertim literis, omnis doctrinae fontibus, grato mecum animo recognosce! Mihi quidem satis erit, *Aldinae* consuluisse memoriae, atque VNGERI schedas, a uiris doctissimis cupide quae-fitas, ab interitu liberasse. Vale



CHRISTOPHORI



CHRISTIANI THEOPHILI VNGERI  
DE  
ALDI PII MANVTII ROMANI  
VITA ET MERITIS IN REM LITERATAM  
DISSERTATIO NEC DVM EDITA  
*OBSERVATIONIBVS GERETI ILLVSTRATA*



CHRISTIANI THEOPHILI VINGERI  
de  
ALDIBII MANVETI ROMANI  
VITA ET MERITIS IN REA LITERARIA  
DISSERTATIO NEQ. DAM ERITA  
OBSERVATIONES 2. GERTHILLENSTADIA



CHRISTIANI THEOPHILI VNGERI  
DE  
ALDI PII MANVTII ROMANI  
VITA ET MERITIS IN REM LITERATAM  
DISSERTATIO NEC DVM EDITA



CHRISTIANI THEOPHILI VINGENI

ADRIANUS VAN VLIET ROMANI

VITA ET MERITIS IN REMLIBRARIAM

DISSERTATIO NEC DAMEDITA

VII. Gerson-Bibliothecae et Bibliothecae  
VIII. Gerson-Bibliothecae et Bibliothecae  
IX. Gerson-Bibliothecae et Bibliothecae  
X. Gerson-Bibliothecae et Bibliothecae  
XI. Gerson-Bibliothecae et Bibliothecae  
XII. Gerson-Bibliothecae et Bibliothecae  
XIII. Gerson-Bibliothecae et Bibliothecae





# CONSPECTVS OPERIS

## SECTIO I

DE

### VITA ALDI ET MERITIS

- I. Rationes instituti commemorantur
- II. Annus ALDI natalis cum stirpe eius germana
- III. Splendor gentis ALDINAE, ab iniuriis BAILLETI, vindicatus
- III. Vis nominis ALDI, et frequentis usus causae
- V. Cognominum BASSIANATIS, imprimis PII, explicatio
- VI. ALDI patria celeberrima
- VII. ALDI primae literae, progressus in iis, impedimenta-que usque ad munus morum magistri
- VIII. Origines Officinae ALDI typographicae, primique labores, tam graeci quam latini
- VIII. ALDI studium praecipuum, in ueteribus scriptoribus edendis, atque emendandis, occupatum
- X. Recentiores tamen, imitatores ueterum, non spernit
- XI. Hebraeorum librorum gloriam concedit BOMBERGIO
- XII. Typorum ALDINORVM laus, uarietas, interpunctio
- XIII. Priuilegium ALDINAE artis VENETVM

XIIII.



- XIII. Academiae ALDINAE fata  
 XV. Eiusdem membra, praesertim ERASMVS  
 XVI. Cura ALDI, ualde sollicita, libros edendi pulcherrime,  
 et castigandi  
 XVII. ALDI industria a quibusdam, durius interdum, de-  
 siderata  
 XVIII. Libri, ab ALDO ipso typis impressi, fecernendi ab edi-  
 tionibus ALDINAE officinae  
 XVIII. Insigne ALDI a primis incunabulis illustratum  
 XX. ALDINORVM fautores studiorum VENETI  
 XXI. ITALIAE proceres, dediti ALDO  
 XXII. Honestissima temporis ALDINI auaritia  
 XXIII. Ipsius ALDI monimenta, typis suis mandata  
 XXIII. ALDI filii, eorumque operae  
 XXV. ALDI tempus emortuale literis luctuosum  
 XXVI. Elogium ALDI

*SECTIO II*

DE

ANDREAE CHEVILLERII DE ALDO IVDI-  
 CIO AVCTORIS ET MAITTAIRII OB-  
 SERuationIBVS DECLARATO

*SECTIO III*

DE

LIBRIS AB ALDO EDITIS

SECTIO



SECTIO I  
DE  
VITA ALDI ET MERITIS



VITA ALDI ET MERITIS  
S. H. C. T. I. O. M. A. N. I.  
D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O.  
A. U. T. O. R. I. S. M. A. G. I. S. T. R. I.  
R. F. I. L. I. I. P. P. I. N. G. I. I.  
D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O.  
A. U. T. O. R. I. S. M. A. G. I. S. T. R. I.  
R. F. I. L. I. I. P. P. I. N. G. I. I.





DE  
ALDI PII MANVTII ROMANI  
VITA MERITISQVE IN REM LITERARIAM  
DISSERTATIO C. T. U.




§. I



Si quisquam alius uirorum eruditorum dignus est, cuius ad seram posteritatem memoria perueniat 1), multiplici certe nomine decus illud meretur, ALDVS PIVS MANVTIVS ROMANVS, TYPOGRAPHVS CELEBERRIMVS, cui literae meliores, una cum illius natiuitate fere renatae, tantopere debent. Neque tamen eo secius historiae biographicae scriptores plerique rationem uiri tanti siue nullam plane, siue leuiusculam et parum adcuratam habuerunt. 2) Quamobrem peculiari dissertatione complectenda censui, quae de ipso, cum in librorum suorum praefationibus, 3) tum

*Rationes instituti commemorantur*





eorum scriptis, qui de arte typographica commentati sunt, aliisque monumentis idoneis passim literis consignata leguntur

## §. II

Annus Aldi  
natalem cum  
stirpe eius  
germana

Annus *Aldi* natalem adhuc indagare nusquam licuit. Quodsi *Erasmus Roterodamus* annis uiginti minor ipso fuerit, quemadmodum ad *Ambrosium Leonem Nolanum*, medicum insignem Venetum, scripsit epistolam\*, primam huius lucis usuram is anno Christi MCCCCXXXVI aut MCCCCXXXVII plus minus accepisse uidetur. 4) Neque de parentum nomine satis constat. Illustris *Tbuanus\*\* Aldum* iuniorem nominauit quidem *Pauli* filium, *Aldi* nepotem, et *Aldi* Romani abnepotem; id quod argumento foret, Patrem Filio cognominem fuisse, *Teisserium* autem eruditissimum mendii credidisse suspectum illum *Tbuani* locum, inde colligo, quod neglectis omnino uerbis: *Aldi Romani Abnepote*, Gallice tantum reddiderit: *Alde Manuce fils de Paul et petit fils d' Alde.\*\*\** Quoquo uero modo se res habet, *Aldus* iunior maiorum suorum originem uerbis disertis retulit ad nobilissimam atque uetustissimam familiam *Manucciorum* siue *Manuziorum* Florentinorum.\*\*\*\* Cuius ueritatem seculo superiore presbyter eruditus e posteritate *Manucciorum* Florentinorum, *Iosephus di Scipione Mannuccii da Poppi* copiose probauit atque confirmauit, † ab eodem stem-

\* Lib. X. Ep. 29


\*\* Historiarum Libro CXVIII

\*\*\* Eloges des hommes sauans tirez de l'histoire de M. de Thou seconde partie p. 263. de l'edition de Geneue 1683

\*\*\*\* In praefatione praemissa uitae *Cosmi I.* magni *Hetruriae* Ducis idiomate *hetrusco* a se concinnatae et anno MDLXXXVI. Bononiae maiori forma publici iuris factae

† Opere quodam *hetrusco* suo dicto: *Le Glorie del Clusentino* P. I. p. 37. P. II. p. 165, 204. Recensuit illud *Ioannes Cinellus* nella *Scanzia VI.* p. 56. VIII. 83 et





stemmate cum *Manucciis* *Hetruscis* descendisse *Manuzios Romanos*, e quorum profapia senior *Aldus* fuit: qua de re Vir Perillustris *Apostolus Zenus* 5) Patricius, Cretensis, Cuius Venetus, Augustissimi Imperatoris Historicus atque Poeta, quibuslibet encomiis maior, me non ita pridem literis suis humanissimis certiore fecit. Neque est quod obiiciatur, *Manuccios Florentinos* nomen suum aliter expressisse semper, quam *Aldum* et filios. Nam *Aldus* genio latinae linguae nonnihil dandum censuit, *Manutium* se potius quam *Manucium* cognominans. In libris tamen diuersis ab anno MCCCCLXXXV. ad annum MDIII. excusis, ipsemet quoque cognominis illius sui literam quintam non T sed C constituit, scribens *Manucius*, non *Manutius*. Post annum autem MDIII. in editis officinae suae uoluminibus constanter, quod sciam, *Manutius* uocatur. Ceterum *Ioannes Cinellus* \* adseuerat, pronunciatione Florentina nomen illud *Mannuccii*, longobardica uero *Manuzio*, sonare 6)

## §. III

Patet inde fundamento non satis firmo niti, quae *Bailletus* 7) \*\* de natalibus *Aldi* uulgaribus et obscuris confidentius attulit. 8) Desumit ea *Bailletus* atque circumstantiis non

*Splendor gen-  
tis Aldinae ab  
iniuriis Bail-  
leti uindica-  
tus*

A 3


et XI. 78 della Bibliotheca Volante. Pars prima Florentiae MDCLX. prodiit, ibidem MDCLXXIII. cum accessionibus recusa. Pars altera delle glorie del *Clusentino* MDCLXXXVIII. prela fatigabat

\* Scanzia XVI, della Bibliotheca Volante p. 3

\*\* Libro II. cap. 6. p. 149. et 150. du Traitté d' Auteurs deguisez scribens: Mais rien ne me paroît plus propre a faire regarder cette fantaisie des Sçauans (de cacher la bassesse de leur naissance) dans tout son iour, que l' exemple d' *Alde Manuce* l' ancien. Cet homme ne se rendoit par moins recommandable par son erudition particuliere et par ses liures, que par les seruices signalez que sa belle Imprimerie rendoit a la Republique des Lettres. La premiere demarche qu' il fit pour cacher la bassesse et l' obscurité de sa naissance fut de quitter le surnom de

de





non paucis effectis ampliauit e *Marci Antonii Maioragii* 9) oratione X. qua factam a se nominis sui mutationem aduersus obrectatores ita defendit: *ALDVM audio, Virum illum, cui tantum et latinae et graecae literae debent, Bassianatem fuisse, qui tamen prima aetate, cum iam floresceret, se Romanum primo scribere coepit. Vidi ego permultas eius Epistolas, in quibus ita nomen suum inscribebat: ALDVS ROMANVS. Deinde non ita multo post, Manutiorum Familiae nomen adsumpsit, et se longo tempore ALDVM MANVTIVM ROMANVM inscripsit. Postremo cum ALBERTI PII Carporum Principis amicissimus esset, etiam in eius familiam se insinuauit, et tandem ALDVS PIVS MANVTIVS ROMANVS factus est. Haec autem ideo commemoro, non ut aliquid de tanti Viri fama detraham, quem semper omnium maxime sum admiratus: Sed ut apertissime doceam, banc semper fuisse doctorum hominum sententiam, ut nequaquam contra decorum 10) esse censerent, et suum et familiae nomen uel mutare uel penitus relinquere, et alia noua sumere. Nam ipsius ALDI filius iuuenis, cum summa eruditione, tum orationis elegancia*

de sa famille qui par ce moyen nous est inconnu pour prendre celui du lieu de sa naissance. Il se fit donc appeller d'abord *Aldus* de *Bassano* (alias *Bassiano*) qui est le nom d'une petite uille de la Seigneurie de Venise assez pres de *Padoue*. Ce lieu ne Luy paroissant pas assez illustre dans la Suite il en quitta le nom, lors qu'il se fut transporté a Rome et uoulant faire croire au public qu'il estoit ueritablement né dans cette derniere uille, qu'il adoptoit pour sa Patrie, il se fit nommer simplement *Aldus Romanus*, et il ne signoit point ses lettres autrement, iusqu' a ceque la fantaisie Luy uint de se faire de famille. Il n'en trouua point de plus facile a prendre ny de plus propre a le rehausser que celle des *Manucci*, dont il se donna le nom, qu'il retint touiours depuis en se qualifiant *Aldus Manutius Romanus*. Enfin s'etant in sinué dans la connoissance puis dans l' amitie d' *Albert Pio* Prince de *Carpi*, il uolut s'incorporer a sa famille et dans cette uie il prit la liberte de se nommer *Aldus Pius Manutius Romanus* sans que le Prince ou aucun autre s'y opposat. Mais ses enfans et ses petits fils se sont contenté du nom de *Manuce* dont les urays *Manuccij* ne leur ont iamais fait un Proces





*tia praestans, hoc tempore, duobus parentis nominibus relictis, tantum se PAVLVM MANVTIVM inscribit*

## §. III

*Aldi* nomen, quod accepit, cum sacro fonte tingeretur, idem esse dicitur, cum *Theobaldo*. Sic enim in exemplo meo Grammaticae Graecae *Theodori Gazae* manu quis adnotavit. Italis omnino tunc temporis haud inusitatum erat, ut nomina uirorum atque mulierum siue contraherent, II) siue per aphaeresin una atque altera syllaba priuarent. Apud eosdem etiam nunc in more positum est, ut in sermone familiari se nomine baptismatis potius inuicem, quam cognomine compellent. Hinc *Aldi Senioris* peruulgatum honoris praefamen erat: *Messez Aldo*, de quo passim epistolae uulgares Filiorum *Antonii* atque *Pauli* typis editae testimonium perhibent. Hac ratione factum, ut ille, cum per uniuersam rempublicam et ciuilem et literariam *Aldi* nomine notissimus esset, ipsemet eius usu quoque frequentissimo magno-pere delectaretur. Nam in epistolis plerisque signabat: *Aldus*, aut *Aldus Romanus*; in libris autem impressis, tantum non omnibus, *Aldi* nomen pagina cum prima tum postrema comparet

*Vis nominis Aldi, et frequentis usus causae*

## §. V

De *Bassianatis*, graece Βασσιανεύος 12), cognomine, quo in libris nonnullis ante annum MD. excusis, et nominatim *Aristotelis Organo Graeco MCCCCLXXXV.* atque *Lexico Graeco MCCCCLXXXVII.* est usus, admodum mihi placet sententia perillustri *Zeni*, cui uerissimum uidetur, illud non a *Bassiano*, Patauinorum municipio, Philologi doctissimi *Lazarus Bonamici*, 13) patria, deducendum esse, sed a *Bassiano*, territorii Romani, siue praedio siue oppido, ubi *Aldus* sit editus. Deinde

*Cognominum Bassianatis, in primis Pii, explicatio*





inde, quod ad alterum eius, *Pii* nimirum cognomen, attinet, illud anno MDIII. primum adsciuit, *Alberti Pii*, Carporum Principis beneficiis 14) summis, atque priuilegio singulari permotus. Instituerat hunc Principem *Aldus* a teneris unguiculis in literis humanioribus, et ad geminum sapientiae studium, cui *Patruus Ioannes Picus*, *Mirandulanus*, 15) se totum dederat, praeclaris monitis excitarat: *Ephorus* ipsi datus, cum ex *Academia Ferrariensi*, turbulentis belli motibus ingruentibus, se *Carpum* recepisset. Qua oportunitate sibi Principem illum, et omnes eius propinquos, ita conciliauit, ut ipsum postea semper ad nutum suum habuerit, et *Albertus*, discipulus memor, tandem omnia sua cum *Aldo* praeceptore fidelissimo communia uellet. Hinc eius in se studia maxima, cum organon *Aristotelis* Graecum ipsi MCCCCLXXXV. nuncuparet, in dedicatione celebrauit. Ad quam dedicationem *Aldo*

Hos libros, inquit, *Alberte* Princeps, tibi dicamus, tum quia es doctorum aetatis nostrae alter *Maecenas*; nam ipse tibi, quod *Flaccus* *Maecenati*, merito dixerim, o et praesidium, et dulce decus meum: in mea enim hac dura prouincia tua ope defensus sum maxime et adiutus, ita ut, si mihi debent, tibi aequae debeant necesse est studiosi literarum graecarum: Tum etiam, quia noui te librorum graecorum percupidum, quas ut tibi pares, nulli parcis impensae, imitatus *Picum Mirandulanum* auunculum tuum, hominem ingenio admirabili et summa doctrina, quem probis mors inuida nuper surripuit, comitem *Hermolao Barbaro*, et *Angelo Politiano* uiris aetatis nostrae doctissimis, qui tres tanquam triumphari poterant cum antiquitate certare. Horum tu aemulus, docte adolescens, non dubito, quin breui sis plurimum profecturus. Nihil enim tibi deest. Non ingenium, quo ualde abundas. Non eloquentia, qua tu praeditus. Non libri, nec latinae nec graecae neque hebraicae disciplinae, quos tibi summo studio curaue perquiris. Non doctissimi praeceptores, quos tu conductos habes multa pecunia. Incumbe igitur, (ut facis) bonis artibus. Ego quidem tibi, si quid possum, nunquam deero. Habes nunc a me libros *Aristotelis* logicae disciplinae, Habebis Deo fauente et philosophicarum tum morales tum physicos, et quoscunque ille diuinus Magister legendos posteritati reliquit; modo extent. Erunt deinde a me tibi et caeteris studiosis commentatores *Aristotelis*, *Anthonius*, *Simplicius*, *Porphyrius*, *Alexander*, *Philoponus* et *Themistius Paraphrastes*. Imprimuntur etiam Grammatici, Poetae, oratores, Historici et quicunque profuturi uidebuntur studiosis, consulturique periturae doctrinae et bonis literis



*Aldo* fertilissimos et amplissimos agros dono promisit. 16) *Quin-*  
 imo pollicitus est, oppidum amoenum ex suis ita *Manutii*  
 futurum, ut in illo aequae ac *Albertus Pius* iubere possit.  
 Prolixissimam istam uoluntatem optimi Principis, laudibus  
 dignis, extulit in praefatione, qua ipsi reliqua *Aristotelis* ope-  
 ra, quatuor uoluminibus comprehensa, anno MCCCCLXXXVII.  
 inscripsit. Non multo post, *Albertus Pius*, in nominis sui  
 gentilitii ius et Familiam Piam, adoptauit *Aldum*, qui gratias  
 eo nomine meritas, ipsi persoluit, in praefatione commenta-  
 riorum graecorum *Ammonii*, in libros *Aristotelis* περὶ ἐπιμ-  
 νεως, anno MDIII. typis *Aldinis* editorum. Nam eo uolu-  
 mine, teste perillustri *Zeno*, prima uice *Pii* cognomen adhi-  
 buit; id quod ex eo tempore in aliis quoque librorum suo-  
 rum praefationibus multis, attamen non omnibus, obserua-  
 uit: nunc *Aldum Pium*, nunc *Aldum Pium Romanum*, nunc  
*Aldum Pium Manutium Romanum* se uocitans. In quo Mae-  
 cenatis sui cultu constanter ad exitum usque uitae perseuera-  
 uit; Ipsum paucis ante obitum hebdomadibus, anno MDXV.  
 mense Ian. in *Lucretii* praefatione, humanissime allocutus.\*  
 Princeps ille munificentissimus, qui liberalitate sua subleua-  
 uit

B

uit

\* Aldus Pius, Albertum Pium, Corporum Principem ac Caesarem Oratorem apud Pon-  
 tific. Max. saluere iubet. Iam pridem, Alberte, decus Principum, decus huius aetatis  
 eruditorum, constitui, omnes de philosophia libros, quotquot ex aedibus nostris exirent  
 in manus studiosorum, tibi dedicare, tum mea erga te singulari beneuolentia, tum et-  
 iam, quia id genus libris praeter caeteros delectaris. Deus perdat perniciofa haec bel-  
 la, quae te perturbant; quae te tamdiu auertunt a sacris studiis literarum; neque  
 sinunt, ut quiete, et, quod semper cupinisti atque optasti, fruaris otio, ad eas artes,  
 quibus a puero deditus fuisti, celebrandas. Iam aliquem fructum dedisses studiorum  
 tuorum, utilem sane et nobis, et posteris. Qua te priuari re ita moleste fers, ut nul-  
 lam aliam ob causam credendum sit, nuper te Romae tam graui morbo laborasse, ut  
 de salute tua et timerent boni omnes et angerebantur.

Di prohibere minas: Di talem auertite casum,

et placidi seruate Pios †

(† Virg. Aen. III u. 236 G.)





uit *Aldum*, ut scriptores, tot egregios, temporibus difficillimis, e tenebris in lucem, producere potuerit, tandem, uariis fortunae nouercantis casibus iactatus, suisque ditionibus omnibus exutus, quinquagenario quinquennio maior, aliquibus ingenii monumentis relictis, in exilio Gallico, si *Leandro Alberto*, in Italiae descriptione, fides, MDXXXI. *Lutetiae Parisiorum* uiuere desiit. 17) *Paulus Iouius*\* autem, retulit obitum eius ad illud tempus, quo *Carolus Caesar* et *Solymanus* ad *Viennam Noricam* certaturi credebantur, qua tempestate saeua pestis, fatalem ipsius horam, adduxerit


## §. VI

*Aldi patria  
celeberrima*

Patriam *Aldo Romanam* urbem, aut agrum Romanum fuisse, meo qualicumque iudicio, non est, quod amplius dubitetur. Nam et ab incunabulis *Romae* uersatus est, et *Romanum* ipsemet nunquam non se nominauit; id quod iisdem quoque uoluminibus factum, quibus *Bassianatis* cognomen adsumsit. Omnino licuit *Aldo*, quod uiris eruditus innumeris aliis integrum fuit, qui, ruri nati, uicinam urbem esse Patriam suam uoluerunt. Quam in rem cum per illustrem *Zenum* consularem, eruditissime respondit his uerbis hetruscis: ALDO si e semper nominato ROMANO in tutti i suoi libri: Onde non conuien dubitare, che in ROMA, o in alcuna delle sue uicinanze, egli non abbia sentito i natali. GIROLAMO GHILINI, nella III Parte del Teatro degli Uomini Letterati, che si conserua autografo in Venetia presso il S. VINCENIO GRADENIGO, Procuratore amplissimo di SAN MARCO, facendo l'Elogio del uecchio ALDO, dice, che hebbe in ROMA il suo nascimento. BENEDETTO TIRRENO, che fu uno degli amice e degl' Academici d' esso ALDO, dedicando l'anno MDXVI. lo STRABONE greco, impresso nella Stamperia ALDINA in foglio, al Principe ALBERTO PIO, e quiui compiangendo la morte

\* In elogiis uirorum doctorum numero 73





morte di ALDO, dice fra l'altre cose le seguenti parole: De quo  
praeclare dicere possemus, quod de AVGVSTO dictum accepimus,  
qui fuerit VRBIS ROMAE SVAE ALTRICIS atque MATRIS  
AVREVS PARTVS

## §. VII

Prima literarum rudimenta puer *Romae* posuit, grammaticis illius aetatis doctissimis, *Domitio Calderino*, 18) atque *Gaspere Veronensi* 19) praeceptoribus usus, quorum alterum in orthographia dictionum graecarum apud *Statium* MDII. alterum in *Hesiodi* praefatione MDLXXXV, nominatim indicavit. Iuuenis autem, et aetate iam prouectior, in *Academia Ferrariensi* diu pependit ab ore *Baptistae Guarini*, philologi consummatissimi, sub cuius disciplina, cum in graecis, tum in latinis, literis ita profecit, ut ipse mox *Herculem Strozam*, aliosque pueros ingenuos, auditores ibi sit nactus. Huic *Guarino*, *Guarini Veronensis*, 20) communis *Italiae* doctoris, nonagenarii senis, anno MCCCC LXI. ad sepulturam elati, filio, dedicavit *Hesiodum*, una cum *Theocrito*, *Theognide*, *Phocylide*, graecisque poetis minoribus aliis, MCCCC LXXXV uno volumine typis exscriptum, ubi quam honorificis uerbis eum celebravit. \* *Ferrariam* reliquit *Aldus* anno plus minus MCCCC LXXXIII. quo bellum grauissimum inter *Herculem*, *Ferrariae* Ducem, atque *Republicam Venetam*, exortum. Prius enim, quam *Veneti Ferrariam* oppugnarent, ut inimicum musis bellum fugeret, *Mirandulam* ad *Iobannem Picum*, Principem, *seculi sui Phoenicem* suo merito dictum, properavit, quod et amaret literatos uiros, et faueret ingeniis. Has


*Aldi primae literae, progressus in iis, impedimenta que usque ad munus morum magistra*

B 2

causas

\* Inter alia dicens: Hunc librum tibi dicamus, Praeceptor Excellentissime, cum mea in *Veronenses* beneuolentia, debeo enim plurimum *Veronensibus*; nam a *Gaspere Veronensi*, peregregio Grammatico, didici *Romae* latinas literas, a te uero *Ferrariae* et latinas et graecas: cum quia totus fere hic liber est de moribus. Quid enim conuenientius, quam de moribus scribere ad eum, qui sit moribus omnium ornatus? Es tu quidem aetate nostra alter *Socrates*.





causas illius profectiois ipfemet adfert in epiftola, tunc temporis ad *Angelum Politianum* data.\* Vixit autem *Aldus*, apud *Iobannem Picum*, ultra biennium hospitans, familiariffime coniunctus *Emanueli Adramytteno Cretenfi*, graece doctiffimo, cuius ufus quotidianus, ipfum non parum, credo, confirmauit, in literarum graecarum amore illo, prorfus ineffabili, ex quo deinde, cum ad eas ornandas omnes curas fuas conuerteret, *Φιλελληνος* elogium reportauit. 21) Quo uero magis *Adramyttenum*, ob exquisitiffimam doctrinam, admirabatur, eo maiorem dolorem ex ipfius obitu sentiebat, paucis menfibus ante, quam illam epiftolam ad *Politianum* exararet, facto *Ticini*, quo Principem fuum *Picum* is comitatus fuerat. 22) Interim *Aldus* abierat *Carpum* ad prouinciam illam ampliffimam, quam, dubio procul, *Iobannis Pici* commendatione, apud *Albertum Pium*, (huius enim mater *Pici* foror erat) adminiftrandam acceperat, 23) ut ex, *Carpi* data, epiftola, modo memorata, qua inter *Politiani* 24) amicos recipi cupiebat, \*\* apparet

## §. VIII

Origines officinae Aldi typographicae primique labores, tam graeci quam latini

Quot annos *Aldus Carpi* confumferit, in *Alberti Pii*, tenelli tunc Principis, institutione 25) dicere non poffum. Illud modo mihi notum eft, ipfum, fimul atque circa annum MCCCCLXXX *Venetis* habitare coeperat, nihil prius habuiffe, quam ut adornaret nobiliffimam illam officinam typogra-

\* uid. Epiftolas *Politiani* libro feptimo, numero 7

\*\* Hisce tuis, inquit, impulfus laudibus, non potui ad te non aliquid literarum dare, ut facerem te certiozem, me ita effe tuum, ut poffes omnia de me tibi conftantiffime polliceri. Incredibilis enim erga doctiffimum quemque meus eft amor, qui me etiam coegit, ut ad te fcriberem, peteremque, ut me pro tua erga ftudiofos uiros humanitate inter tuos, mi *Angele*, connumerares. Ad quam *Politianus* amantiffime refcripfit: Cupio praefens te praefenti frui aliquando, fi quidem abfens ita delector. Accipio uero iam nunc inter amicos, et quidem primi ordinis. Nec enim explorandas, ultro quem *Picus* nolter recepit; Ille, inquam, *Picus*, cuius nunquam nec ceffauit ingenium, nec errauit iudicium





pographicam, quae nomen eius, dum uiueret, longe lateque disseminauit, eo uero fatis functo, prorsus immortale reddidit. Librorum tamen edendorum initium, nonnisi anno MCCCCLXXXV. 26) factum fuit, quo typis *Aldinis Hesiodus* cum aliis poetis graecis, mense Februarii, et *Aristotelis organon*, mense Nouembri, folii minoris forma, publice comparuerunt. Quae contineantur *Hesiodi* uolumine, nos edocent ea, quae praefatus est ad *Baptistam Guarinum*.\* Folio primo Organi Aristotelici, praeter epigramma graecum *Scipionis Carteromachi* in *Aldi* laudem, aliud ipsius *Aldi* legitur ad amicos, quibus post *Aristotelem* absolutum, etiam *Alexandrum*, *Ammonium*, *Iobannem Grammaticum*, et alios eius insignes commentatores, promittit. Postremum illud hic ad uerbum insertum, lectu forte non iniucundum erit:

Αλδῶ Μαντικῆς Βασιανεὸς εἰς Φιλῶς  
Μιστῶν Φίλοι ἠδ' ἀρετῆς καὶ ἐμεῖο Φιλ' Ἀλδῶ  
Χαιρετ' ἰδὲ ὑμῖν διὸς Ἀριστοτελῆς.  
Αὐτικ' Ἀλεξάνδρος κ' Ἀμμωνίος εἰς ἀρὰ κείνον  
Καίτοι Ἰωάννης ἐσσετ' ὁ γραμματικὸς.  
Ἐνδοξὸς τ' ἀλλῶς δῶσω Φίλοι εἰ ἔα φυλάτσει  
Χρυσὸν τ' ἠδὲ πύλων μοι μίτον ἢ λαχεῖσις.

Eiusdem praefationem latinam ad *Albertum Pium*, Carpentem Principem, excipit epistola graeca *Alexandri Bondini*, Medici Venei, graece doctissimi, qui uolumen illud correxit,


B 3

et

\* En tibi Magister, ait, doctissime, Theogoniam *Hesiodi*, quam petis a nobis, interpretaturus publice discipulis tuis. Addidimus eiusdem Poetae Scutum ac Georgicorum libros, nec non *Theocriti* Idyllia s. opuscula 30. Item moralia, uersu elego, *Theognidis*, Poetae antiquissimi, cuius et *Plato* in Legibus, et *Isocrates* meminit in orationibus. Nec deest *Phocylides*, quem antiquis Ethographis annumerat *Isocrates*, ad *Dacmonicum*. Operae pretium etiam uisum est, addere interpretationem *Maximi Planudis*, eius libelli, qui incipit: Cum ego animaduertem, quem fama est fuisse *Catonis* cuiusdam. Sed quicumque fuit, doctus fuit

fuit





et *Aldo*, Philellini, maximas gratias deberi scribit, quod et typos graecos tam eleganter adinuenerit, et opus quam emendatissime impreserit. Sub exitum autem haec habentur: Impresum *Venetis* dexteritate *Aldi Manutii Romani*, Calendis Nouembris MCCCCLXXXV. Concessum est eidem *Aldo* inuentori, ab illustrissimo Senatu *Veneto*, ne quis queat imprimere, neque hunc librum, neque caeteros, quos is ipse impreserit; neque eius uti inuento, sub poena, ut in gratia. Eodem anno MCCCCLXXXIII. 27) publici iuris fecit *Constantini Lascaaris* Grammaticam graecam, cum tabula *Cebetis*, aureis *Pythagorae* carminibus, *Phocylide* et aliis opusculis, omnia cum interpretatione latina. Postremis philyris accedit etiam introductio perbreuis ad hebraicam linguam. Sed quo mense uolumen prodierit, mihi nondum satis est expeditum, cum editio prima non sit ad manus, sed quarta tantum aut quinta, locupletior, apud *Aldum* MDXII. idque nitidissime, recusa. \* Eodem anno MCCCCLXXXV. prodiit apud *Aldum*, *Theodori Gazae* grammatica graeca, atque eiusdem liber de mensi-

fuit, et lecti dignus. Cuius sententiae cum esset *Planudes*, Graecis quoque legendum tradidit, uersu hexametro, et docte quidem et eleganter. Hanc interpretationem, in membrana abhinc CCC. annis et plus eo scriptam, literis prope exesis, ut uix dignosci possent, uidisse se retulit mihi *Franciscus Roscius*, Iuuenis plenus fide, et graece et latine apprime doctus. Nec mirum: est enim et ipse ex tua felici *Verona* oriundus, quae Mater et Alumna est, et semper fuit doctissimum dominum. Inseruimus et alia quaedam profutura studiosis, quae, in fronte libri impressa, licet uidere

\* Libellos additos inscripsit studiosis Adolescentulis; ubi inter alia: Nihil praetermittere est animus, inquit, quod utile credamus futurum iis, qui graece discere concupiscunt, optimeque scire latine. . . Quamobrem haec omnia cum latina interpretatione imprimenda curauimus. Quae si placuisse cognouero, habeo longe meliora maioraque, quae postea, Deo fauente, condonabuntur. Omnem enim uitam deorauimus ad hominum utilitatem consumere. Deus est mihi testis, nihil me magis desiderare, quam prodesse hominibus, quod et ante acta uita nostra ostendit, ubicunque uiximus, et ostensurum speramus (quando id uolumus) in dies magis, quamdiu in hac lachrymarum ualle, et plena miseriae uiuimus

mus



mensibus, item *Apollonii* de constructione libri 4. folio minore; sicut et *Petri Bembi* Dialogus de Aetna, quod opusculum, secundum perillustrem *Zenonem*, primum fuit scriptum, mere latinum, *Aldi* formulis euulgatum. Ab eo tempore, per integrum uicennium, ex officina sua, plurimos libros egregios, graecos, latinos et hetruscos, emisit. Catalogum eorum imperfectum, sine anno editionis, singulis addito, texuit *Conradus Gesnerus*, Pandectarum suarum, siue partitionum uersalium Libro XI. quem cum *Paulo Manutio* nuncuparet, *Aldi* Patris industriam laudatissimam, magno encomio condecorauit \* 28)

## §. VIII

Praecipuas curas suas destinauerat *Aldus* scriptoribus ueteribus, graecis et latinis, e tenebris eruendis; unde *Paulus* filius ipsum, iure meritoque, restituendae antiquitatis cupidum, uocauit, equiparans *Roberto Stephano*, Typographo Regio *Parisiensi*, quo, secundum Patrem suum, in emendandis atque edendis ueterum scriptis, neminem fuisse aut esse diligentiozem, arbitratur. \*\* 29) Quantam uoluptatem perceperit


*Aldi* studium  
praecipuum  
in *Veteribus*  
scriptoribus  
edendis atque  
emendandis  
occupatum

mus. Dabo igitur operam, ut, quantum in me est, semper profim. Nam etsi quietam ac tranquillam agere uitam possimus, negociosam tamen eligimus, et plenam laboribus. Natus est enim homo non ad uoluptates, bono et docto uiro indignas, sed ad laborem, et ad agendum semper aliquid uiro dignum

\* Ad Clarissimum felicitis memoriae uirum *Aldum Manutium* piissimum, patrem tuum, (uenio) qui primus orbi terrarum optimos quosque in utraque lingua libros, et unus plurimos, eosque castigatissime, et solus, omnium pulcherrime, typis suis excudit. Immortalis haec eius industria, immortale beneficium, cum tota studiorum aetate florebit, nec prius quam ipsa studia (quod, ne unquam fiat, *Deus* auertat) aboleri poterit - - Exemplaria graeca ante patrem tuum, aut nulla, ni fallor, aut pauca, nec ea industria, typis publicata sunt. Prima huius artis inuentio Germaniae nostrae adscribitur. Sed non minor uirtus est, tueri et perficere rem inuentam, quod *Aldo* debemus, quam inuenire

\*\* Comment. in CIC. Epist. Fam. Lib. I Ep. I. et Lib. XV Ep. XVIII. conferantur ipsius *PAULI MANVTII* Epistolae passim, et imprimis Lib. III Ep. XXXIII





rit ALDVS, cum amici copiam facerent codicum uetustorum rariorum, colligere licet ex iis, quae *Vindobonam* anno MD. ad *Conradum Celtem* scripsit. \* Geminum, ex his literis captum, desiderium ipsum compulit, ut anno MDII. in praefatione orthographiae dictionum graecarum, apud *Statium* occurrentium, ad intimum amicorum, *Marcum Musurum*, 30) his uteretur uerbis: *Non est moris nostri fraudare quenquam sua laude. Imo decreuimus omnes, quicumque mihi, uel opera, uel inueniendis nouis libris, uel commodandis raris et emendatis codicibus, uel quocumque modo, adiumento fuerint, notos facere studiosis, ut et illis debeant, si mihi debent. Atque utinam plurimos id genus habere-mus reipublicae literariae benefactores. Quanquam plurimos speramus futuros, non in Italia solum, sed et in Germania et Galliis, atque apud, toto orbe diuersos, Britannos. In quibus habemus Crocinum Sacerdotem, et Thomam Linacrum, uiros undecunque doctissimos, qui olim Florentiae, sub Demetrio Chalcondyla, 31) viro clarissimo, et graecae facundiae instauratore, magnoque decore, graecis literis incubuerunt. Quapropter ex Germania Valerii Maximi quaedam, quae in Italia non habentur, ex Gallia uero, duodecim Asconii Pediani elegantiarum libros, per cupide expectamus. Quas extare, esseque M. Fabii Quint. ac inde bonam partem elegantiarum suarum accepisse Laurentium Vallam, 32) uel puer Romae, cum audirem Domitium, intelligebam. Gaudeant igitur bonarum literarum studiosi. Nam D. O. M. annuente, assiduisque laboribus nostris, atque Academicorum nostrorum auxilio, et ceterorum bonorum doctorum-  
que*

\* Quod pollicitus fueris, inquit, te huc uenturum, librosque graecos et latinos, a te nuper inuentos, allaturum, duplici afficior gaudio; quod et te, doctum uirum et mihi amicissimum, spero uidere complectique, et libris, tam longo carcere a te, tanquam ab Hercule, liberatis, coram gratulari. Te igitur, quantum possum rogare, rogo, ut uenias. Venies enim expectatus, librosque ipsos feras. Hoc enim mihi gratius esse nihil potest. Extat illa *Aldi*, inter Epistolas Philologicas, a *Goldschto* prelo subiectas, num. 22.





que hominum, qui bonas literas, bonasque artes propagari, nostra aetate, desiderant, omnia suppeditabimus, quibus in summos viros queant euadere

## §. X

Neque tamen propterea scriptores quoscunque recentiores exclusit officina sua, dummodo doctrina praestarent, et ueteres imitarentur, atque omnem industriam suam, ad literas renatas, graecas atque latinas, magis illustrandas conferrent. 33) Nam *Emanuelis Chrysoloyae, Bessarionis Trapezuntii, Francisci Philelphi, Emanuelis Moscopuli, Theodori Gazae, Demetrii Chalcondylae, Constantini Lascharis, Nicolai Perotti, Zenobii Florentini, Marsilii Ficini, Varini Phauorini Camertis, Scipionis Carteromachi, Petri Bembi, Erasmi Roterodami*, quaedam item *Strozziarum, Titi Patris, Herculisque Filii, Poetarum Ferrariensium, et Io. Iouiani Pontani* poemata, atque *Angeli Politiani* opera omnia, 34) cum soluta tum ligata oratione, aliaque fortasse, 35) typis *Aldinis* excusa, prostant. Idiomate quoque uulgari uolumina nonnulla publicauit. Vidi PETRI BEMBI dialogos hetruscos: *de amore gli Asolani* dictos, apud *Aldum* MD. 8uo impressos, et *Dantis* editionem *Aldinam* accuratissimam, anno MDXV. factam, 36) *Iobannes Marius Crescimbenius* 37) laudat\*

Recentiores tamen, imitatores ueterum, non spernit

## C

## §. XI

\* Lib. III p. 296. nell' istoria uolgar poesia: It. l. c. p. 309. de *Franc. Petrarcae* operibus hetruscis, apud *Aldum* euulgatis, haec memoriae prodit: Le cose uolgar di *M. Franc. Petrarca*; e in fine si legge: impresso in *Vinogia*, nelle case d' *Aldo Romano*, nell' an. MDI, nel mese di Luglio, et tolto con somma diligenza dallo scritto di mano medesima del Poeta, hauuto da *M. Pietro Bembo*, Nobile Venetiano, et da Lui, doue bisogna, e stato riueduto et racconosciuto. Di questa edizione noi l' anno MDCC uedemmo un bellissimo esemplare in *Pergamena*, appresso il Dottor *Niccolò Francesco Lupi da Gravina*, dimorante allora in *Roma*; ed offeruammo, che nella prima carta u'erano scritte le seguenti notizie:

Librum





## §. XI

Hebraeorum  
librorum glo-  
riam concedit  
Bombergio

Libros hebraicos, *Aldi* formulis euulgatos, praeter introductionem ad hebraicam linguam, *Lascaaris* grammaticae subiectam, post diutinam peruestigationem, nullos inuenire potui; quamuis clarissimus *Mollerus*, *Flensburgensis*\* non aliter de *Aldo* loquatur, ac si typis suis opera hebraea, non pauca, uita atque salute donarit. Neque apud *Gesnerum*, et alios, neque apud bibliothecarum Rabbinicarum scriptores, uel unicam editionem *Aldinam* hebraicam, allegari depre-

hen-

Librum hunc, tanquam nobilissimum Palladium, ab infinitis, quibus scatent uulgati Codices, mendis, ab Ipso *Petro Bembo* expurgatum, ego *Traianus Bocca-  
hinus* furatus sum, inter copiosissimam *Ipsius Bembi* librorum farraginem. Hunc uero nunc suum esse asserit *Carolus Clusius* A. ex dono *D. Achillis Cronen*, *Nis-  
sensis* Silesii, ex *Italia* reducis *Viennam* XIII. Kal. Iul. MDLXXXV

Ex Legato autem nunc habet *D. Fr. Raphelingii*, qui a *Car. Clusio* acceperat

*Ioannes Laet*

*Adolfo Vorstio*, moriens reliquit *D. I. de Laet*, uir amicissimus

Questo libro donai all' Illustriss. et Excellentiss. Sig. Conte il Sig. mio offeruan-  
diss. *Gustauo Adamo Barner*

*Adolfo Vorstio*, Professore di Medicina, Rettore Magnifico  
dell' Vniuersità di *Leyden* alli 27. d' Ottobre dell' anno  
MDC LII

Prometto a sua Signoria, se non lo darà alla mia Regina, non lo hauerà ni-  
suno

*G. A. Barner*

Oltre a questa edizione ne fece *Aldo* delle altre, e noi abbiám uedute quella  
MDXIII. la quale dal *Castelnuetro* e dal *Muzio* e stimata la migliore e la  
piu corretta di tutte le altre, come scriue il *Mensagio Mescol* pag. 21. e  
quella del MDXXI, che noi la riputiamo eguale alla precedente XXXVIII

Postrema tamen editio *Petrarchae*, quam hic *Aldo Crescimbenius* ascribit, non ad  
ipsum, sed ad *Asulanos* pertinet

\* Homonymoscopiae p. 66




hendo. Parturiebat quidem iam an. MDI, *Vetus et Nouum* instrumentum graece, latine et hebraice, sic enim ipsemet ad *Conradum Celtam*, et *Vincentium Longinum*, tunc literis suis retulit. 39) *Aldo* uero superstite, partus ille difficillimus nunquam est editus; quippe quo uita functo, demum ueteris testamenti uersionem graecam LXX. interpretum, sine addito textu hebraico, haeredes MDXVIII. in lucem producerunt. Reseruata fuit illa gloria *Danieli Bombergio*, Antuerpiano, qui Venetiis ab anno MDXVII. usque ad annum emortualem MDXXXVIII. libros hebraicos et rabbinicos, magno numero, typisque nitidissimis, edidit; unde geminam fere nominis celebritatem apud philebraeos, quam *Aldus* apud literarum graecarum atque latinarum cultores, est consecutus

## §. XII

Quod autem ea, quae prelis subiecit *Aldus*, pleraque tanto cum applausu sint excepta, non solum scriptorum argumentum, sed typorum quoque nouitas et elegantia, faciebat. 40) Graecos characteres ad eam perduxit concinnitatem, quam attigerunt pauci typographi secutis temporibus, omnium uero paucissimi superarunt. 41) In latinis, primo quidem utebatur caractere rotundo, tunc aliis quoque familiari, sed lectu facili, neque scribendi compendiis ita multis admixtis impedito; post aliquot annos etiam nouis distinguendi signis, commatibus, semicolis, et aliis ornato: quorum 42) usum introductum *Aldo* nostro debemus; nam antea typographi non nisi duo puncta, in periodi medio atque membris, et unum sub exitum ponebant. 43) Sed anno MD. nouum omnino genus typorum latinorum minutiorum 44) excogitauit, quibus calamus scribarum, elegantissime pingentium, haud infeliciter est imitatus. Primum uolumen, his typis excusum, est

*Typorum Aldinorum laus, uarietas, interpunctio*





*Virgilius*, cum *Aldi* praefatiuncula, anno MDI. forma octaua, publicatus\*: Eam mecum beneuole communicauit uir doctissimus, mihi que amicissimus, *M. Iobannes Theophilus Krausius*, 45) patria Silesius, in academia *Lipsiensi*, iam a multis annis meliores literas lucubrationibus politissimis singulariter adiuuans, cuius humanitati debeo quoque sequentem locum, ex epistola Domini *des Maizeaux* 46) ad *Iacobum Bernardum* \*\*


## §. XIII

- \* *Aldus* Studiosis omnibus S. P. V. M. Bucolica, Georgica, Aeneida, quam emendata, et qua forma damus, uidetis. Caetera, quae Poeta exercendi sui gratia composuit, et obscoena, quae eidem adscribuntur, non censuimus digna enchiridio. Est animus dare posthac, iisdem formulis, optimos quosque Authores. Valet. Subiiciuntur uersiculi

In Grammatoglyptae laudem:  
 Qui Graeis dedit *Aldus*, en Latinis  
 Dat nunc grammata scalpta daedaleis  
*Francisci* manibus *Bononiensis*

- \*\* Vid. huius noua reipublicae literariae Gallica, Tomo VI. siue mense Augusto, anni MDCCI. Postea quam Dominus *des Maizeaux* adseuerarat, inuentionem artis typographicae Germanis, perfectionem Italis acceptam esse ferendam, ita pergebat: On demeura assez long tems sans se seruir de Guillemets ou d' un caractere different de celui du corps de l' ouurage, pour marquer les citations les noms propres, cet. Tout y etoit d' abord uniforme. Les premieres impressions parurent en lettre ronde ou Romaine, et uous n' ignorez pas, Monsieur, que ce fut *Alde Manuce*, qui inuenta l' Italique au commencement du Seizieme Siecle. C' est a cause de cela, qu' on l' appelloit autre fois lettre *Aldine* dans les Imprimeries Françoises: mais en latin on lui donna le nom de caracteres cursiui ou Cancellarii, tant a cause de la disposition, que par ce qu' elle ne ressembloit pas mal au caractere de chancellerie. On la nomma enorce Italique, a cause qu' elle uenoit d' Italie. Des qu' *Alde Manuce* l' eut inuentee, il obtint priuilege du Pape *Alexandre VI* pour empecher, qu' aucun autre que Lui ne s' en seruit. Le Bref est datté du 17. Septembre MDII. Cela n' empecha pourtant pas, qu' on ne l' employat bientot en France et ailleurs: mais on abusa d' une si belle inuention, lorsqu' on uoulut en imprimer des liures entiers, telles que sont la plupart des editions de *Gryphius*; rien n' etant plus fatigant, ni plus choquant, pour la uüe. On ne le fait presque plus, a l' heure, qu' il est; mais on s' en sert fort heureusement pour diuersifier le reste de l' impression et la uendre plus agreable. Mais ce caractere a sur tout lieu dans les citations, quoiqu' il n' y ait pas beaucoup de gens, qui sachent bien s' en seruir dans cette ren-
- contre






## §. XIII

Typis istis exilibus atque elegantissimis adinuentis, anno MDII. *Aldo* priuilegium, a Senatu Veneto, tale fuit concessum: *Priuilegium  
Aldinae artis  
Venetum*

LEONARDVS LAVREDANVS, *Dei gratia Dux Venetiarum cet. uniuersis et singulis, ad quos praesentes aduenerint, salutem et dilectionis affectum.* Cum diu in hac urbe nostra degerit *Aldus Manutius Romanus, uir singulari uirtute et doctrina praeditus, diuinoque auxilio quamplurimos et graecos et latinus libros, summa cura et diligentia castigatos, imprimendos publicandosque curauerit, characteribus utriusque linguae sic ingeniose effictis et colligatis, ut conscripti calamo esse uideantur, quae res studiosorum omnium animos mirifice delectauit: ut possit emendandis libris et latinis et graecis uacare in dies melius, eosque, ad communem literatorum omnium utilitatem, accurate in suis aedibus impressos, publicare, suppliciter petiit, ne alius quisquam in Dominio nostro queat graecas literas facere contrafacereue, aut graece imprimere, nec latinarum quidem literarum characteres, quos uulgo cursiuos et cancellarios dicunt, facere contrafacereue, aut imitari curareue faciendos, nec ipsis characteribus libros excudere, uel alibi impressos uenundare, nec quae ipse typis, et ante hac excudenda curauit uolumina, et posthac curabit, possit alius quisquam impune excudere, aut excusa formis, in terris et locis alienis, in dominium nostrum adferre uenalia, hinc usque ad annos decem, sub poena amittendi operis et artificis, aut librorum, ac ducentorum aureorum numum, quoties quis contra facere ausus fuerit: Cuius poenae pars tertia spectet ad orphanotrophium pietatis huiusce urbis nostrae, alia tertia ad Rectores et Magistratus nostros, ad quos delatum fuerit, alia item tertia sit delatoris. Nos autem bene audita, optimeque considerata et perpensa ipsius Aldi petitione, ac*

C 3 intelle-





intellecto, et quantum profuerit, et prodesse possit studiosis omnibus, et qui sunt et qui post aliis erunt in annis, quantosque assidue passus labores fuerit, iam multos annos, iisdem utriusque linguae characteribus inueniendis effingendisque, ut optimi scriptoris manum imitarentur; Cognito etiam, quantum et quanta diligentia insudauerit imprimendis libris, ut quam emendatissimi exirent in manus hominum, nec non quantum impenderit impendatque in ipsa magna admodum et digna sua prouincia; ut possit, quemadmodum coepit, perseuerare, pereuntique reipublicae literariae opem ferre in hac urbe nostra, in qua diuino adiumento iam uel, neacademiam, habet, quam petiit gratiam, auctoritate senatus nostri, Rogatorum, liberaliter ipsi Aldo concessimus, et praesentium tenore concedimus. Quare uolumus, et uobis ac unicuique uestrum efficaciter imperamus, ut gratiam et concessionem ipsam nostram obseruetis, cunctisque obseruandam inuiolabiliter iuxta ipsam eiusdem Aldi petitionem, quam omnibus impositis conditionibus, cum praefato senatu, admisimus. Et si publicandam, in ciuitatibus, terris et locis nostris, ipse Aldus, seu eius procuratores oportere censuerint, est nostra intentio, ut eam, in locis consuetis, atque ubi opportunum fuerit, sine ulla penitus contradictione, publicandam curetis; quemadmodum in uestra obedientia maxime confidimus et de amicorum beneuolentia plene speramus. Datae in nostro Ducali Palatio die XIII Nouembr. Indictione Sexta MDII. Statim post praefationem in Ouidii libris metamorphos. apud Aldum MDII. excusis, extat

## §. XIII

Academiae Aldinae, cuius hoc priuilegio mentio fit, ea ratio fuit. Facile perspiciebat Aldus, non unius hominis esse, tot codices, e puluere protractos, blattisque ereptos, reuidere, atque cum dignitate prelo parare. Quamobrem, adornata typographia, mox doctissimos nonnullos Parastatas in  
 illius

Academiae  
Aldinae fata



illius laboris ardui societatem adsciuit. Quorum numerus, cum indies adcrefceret, et omnes elegantiorum scientiarum cultores, *Venetis*, atque in uicinia, certatim ipsi suam operam offerrent, integram eorum societatem tandem constituit, qui, statis diebus in aedibus *Aldi* conuenientes, in commune consultabant, de libris, graecis, latinis et hetruscis conferendis, emendandis et illustrandis, quos ipse formulis edere suis, cogitabat. Hos in diuersis praefationibus academicos suos nominat, quorum auxilio confisus, bonarum literarum studiosis, expectatissima quaecunque suppeditare promittebat. Neacademia uero, societas illa uocatur in priuilegio, quod paulo antea, nimirum MDI. aut MD. initia sumpserat. Meminit eius *Erasmus Roterodamus* in epistola *Louano, Venetias*, idibus Octobris anno MDXVIII. ad *Ambrosium Leonem Nolanum*, scripta, uerbis lepidissimis. \* *Maximiliani* primi, Romanorum Imperatoris gloriosissimi, beneficiis quibusdam, *Aldum* ornatam cupiuisse suam academiam, colligere licet e praefatione poematum *Pontani*, quae anno MDV. *Ioanni Collaurio* nuncupauit. \*\* *Academiam istam Aldinam* (aliud enim

\* *Fac ualeitudinem tuam, Ambrosi doctissime, tueare diligenter, quo et diu prosis optimis studiis, et multis annis senex sene frui possim. Nam ipse praecurrentem te sum affecutus, totus fere canus. Aldus in familiaribus colloquiis, non sine uoluptate, solitus est imitari senis decrepiti balbutiem, qua olim putaret futurum, ut alter alterum consalutaremus: Quomodo uales, inquit, domine Erasme. Deinde, uoce aequae balbae, sed exiliore, me uidelicet agens, respondebat: Si uales, ego ualeo. Haec iucunde quidem somniabat, praesertim si sermo accederet de extruenda noua academia; sed fidem non praestitit. Reliquit nos ante balbam illam aetatem; etiamsi me multo grandior erat Aldus, annis, ni fallor, plus minus uiginti. Nam ipse nunc annum quinquagesimum secundum aut ad summum tertium ago Lib. X. Ep. 29*

\*\* *Quoniam, inquit, tu plurimum fauisti nobis apud Maximilianum Caesarem, pro academia constituenda, cum Io. Fruticenus, eruditus iuuenis, istic, meo nomine, accurate rem literariam procuraret, et, qui tuus est amor in literatos uiros, et doctrinas, assidue faues, meas esse partes duxi, ut, quo possem modo, gratum mihi extitisse officium tuum cognosceres. Nam etsi nihil est adhuc factum, tamen, quod et tu,*

er





enim nomen nunquam gessit) ephemeridum hetruscarum eruditissimi collectores in uita \* *Scipionis Carteromachi*, idioma patrio, *Forteguerra*, dicti ita delineatam nobis dederunt: „Frequentaua egli (*Carteromaco*) spesso la celebre academia *Aldina*, nella quale fioruano que' tanti insigni letterati, che poi la solleuarono ad un grado da non auere inuidia, a qual si sia delle altre piu rinomate d' *Italia*. *Aldo*, che fu institutore di essa, fa piu d' una uolta menzione nelle prefazioni de libri, e greci e latini, da Lui Stampati, e particolarmente, in quella, posta innanzi alle orazioni di *Demostene*, impresso da Lui nel MDIII

## §. XV

Eiusdem  
membra, prae-  
sertim. Era-  
smus

Ex illius academiae fociis fuerunt, praeter *Scipionem Carteromachum Pistoriensem*, modo memoratum, *Alexander Bondinus*, *Marcus Musurus*, *Ant. Coccius Sabellicus*, *Petrus Alcyonius*, *Vrbanus Pierius Valerianus*, *Ioannes Baptista Egnatius*, *Benedictus Tyrrhenus*, *Hieronimus Auantius Veronensis*, aliique insignes uiri, qui plerique typorum emendandorum munus, per uices, apud *Aldum* obiuerunt. 47) An etiam *Erasmus Roterodamus*, inter officinae *Aldinae* correctores locum habeat, quemadmodum *Iulius Caesar Scaliger* ipsi, per contemptum, obiecisse, dicitur, 48) aliorum esto iudicium. Illud tantum modo noui, cum *Aldus Plautum* ederet, *Erasmum*, honorario conductum, castigationem uersuum confusorum susce-

et *Matthaeus Longius*, uiri doctiss. ac integerrimi Caesaris a secretis, ad me scripsistis, tum uero Caesar ipse benignissimis literis significauit, futurum tua opera, tuo studio facile spero, praesertimque cum rex, natus ad commune bonum, id maxime cupiat, ut quemadmodum est armorum, ita et bonarum literarum, sit decus et gloria. Quare *Ioniani Poutani* Poemata, quae, et meo, et doctorum omnium iudicio, cum antiquis certant, sub tuo nomine publicamus tibi que inueneri mittimus

\* Tomo XX. p. 283. del giornal de letterati d' Italia





suscepisse; \* 49) eundemque primam editionem adagiorum suorum apud *Aldum* factam, describere ita \*\* : „cum apud ita-  
 „los ederem prouerbiorum opus, homo batauus, quotquot  
 „illic aderant eruditi, ultro suppeditabant autores, nondum  
 „per typographos euulgatos, quos mihi suspicabantur usui  
 „futuros. *Aldus* nihil habebat in thesauro suo, quod non  
 „communicaret. Idem fecit *Ioannes Lascares*, *Baptista Egnatius*,  
 „*Marcus Musurus*, *Frater Urbanus* (*Pierius*). Quo-  
 „rundam officium sensi, quos nec de facie, nec de nomine, no-  
 „ram. *Venetiam* nihil mecum apportabam, praeter confu-  
 „sam et indigestam operis futuri materiam, idque ex euulga-  
 „tis duntaxat autoribus. Magna mea temeritate simul utri-  
 „que sumus aggressi: ego scribere, *Aldus* excudere. Sum-  
 „ma negotii, intra menses plus minus nouem, confecta est, et  
 „interim mihi cum calculo malo, nondum noto, res erat,, 50)

## §. XVI

Quam cupide uero nunquam non elaborarit *Aldus*,  
 ut quanta fieri poterat emendatione prodirent, quae typis  
 suis excudebantur, 51) euidenter satis constat, ex ipsius prae-  
 fatione, qua *Platonis* opera, anno MDXIII, *Leoni X* Pontifici,  
 dedicauit. *Nec minor*, inquit, *gloria seruatur tibi B. P.*  
*instaurandis bonis literis, suppeditando optimos quosque libros*  
*studiosis, et qui nunc sunt, et qui post aliis erunt in annis, pro-*  
*pagandis bonis artibus et disciplinis. Tentarunt hoc olim*  
*plurimi ex veteribus, et graeci, et latini, et barbari. Et, quia*  
*mirum in modum profuere, consecuti sunt ex ea re gloriam*  
*sempiternam. Tentarunt et nonnulli ex iunioribus, non solum*  
*priuati ac mediocris fortunae homines, sed et Pontifices Ma-*  
*xim. Imperatores, Reges atque alii illustres, et ut taceam*  
*ceteros, nonne plurimum iuuit rem literariam* *Nicolaus V*  
 D *Pon.*

*Cura Aldi  
 ualde sollicita  
 libros edendi  
 pulcherrime  
 et castigandi*

\* uid. Epistola 4. libri XXXI

\*\* Chiliadum p. 355





*Pontif. Max? nonne et Parens tuus Laurentius? Qui si diutius vixissent, multa essent in manibus, quae non habentur; tum, quae habentur, facta fuissent eorum cura longe meliora. Debes tu igitur, illius magnus successor, huius dignus Filius, quod efficere illi, morte praeuerti, non potuerunt, perficere. Ego autem iam diu hoc saxum uoluo. Qua in re mihi quidem uideor esse alter Sisyphus, quod nondum illud uoluendo perduxerim in apicem montis, aliis autem, iisque eruditis, Hercules, quod, nullis cedens malis, nullis succumbens laboribus, iam plus unus ipse iuuerim rem literariam, quam simul omnes, quotquot fuere multis seculis. Ita me amant de tantis laboribus, ut, nunc coram, nunc accuratis literis, laudando obtundant. Sed non ego credulus illis. Nullum enim ad huc dedi librum, in quo mihi satis fecerim. Nam tanta erga bonas literas beneuolentia est mea, ut emendatissimos emittam in manus studiosorum. Quamobrem, quotiescunque vel mea, vel eorum incuria, qui mecum corrigendis libris incumbunt, aliquo in libro, quamuis paruus error, committitur, etsi opere in magno fas est obrepere somnum, (non enim unius diei labor hic noster, sed multorum annorum, atque interim nec mora nec requies), sic tamen doleo, ut, si possem, mutarem singula errata nummo aureo*

## §. XVII

*Aldi industria  
a quibusdam  
durius interdum  
desiderata*

Sed ut nihil ex omni parte beatum in rebus humanis datur, ita non est mirum, uiros eruditos, in multis Aldi quoque uoluminibus, maiorem adcuracionem requisuisse. Primis statim annis, posteaquam officinam suam adornarat, *Antonius Codrus Urceus*, literarum graecarum et latinarum Professor Bononiensis, anno MD e uita sublatus, conquerebatur epistola, ad *Baptistam Palmarium* data, libros apud *Aldum* impressos, nimis esse caros, et margines uacuos habere nimium latos, atque graeca typis eius excusa minus esse correctata

recta



recta. Quam epistolam ut *Aldo* praeberet legendam, *Palmario* permittebat, sed ne quispiam alius uideat, simul iniungens. \* Erat enim inter ipsos necessitudo uetus; hinc, in mnemosynon et pignus amoris, uolumen epistolarum graecarum, anno MCCCCLXXXVIII. forma quarta uulgatarum, *Codro* suo nuncupauit. 52) Dudum autem prouiderat istarum querelarum praecipuam partem, in Hesiodi sui praefatione iam anno MCCCCLXXXV. excusatione praeoccupatam. \*\* Seculo superiore *Ianus Gruterus*, in adnotationibus suis, ad *Plinii iunioris* epistolas scripsit: „Ex illa profecto officina, (sc. *Aldina*) tam multa fere mala prodierunt, quam bona; dum nimium sibi tribuunt Correctores, neque tamen, asteriscis locum mutilum insigniendum, putant operae suae pretium. „\*\*\* Ast uero censuram istam *Iacobus Thomasius*, philologus Academiae Lipsiensis accuratissimus, non sine causa, duriores pronunciauit. \*\*\*\* Postremo, quod sciam,

D 2

aetate

\* *Memoires litteraires* Tome I. p. 296. 297

\*\* Si qua tamen leges incastigatae, Magister doctissime, (*Guarinum* alloquens, inquit) tam hic quam in ceteris libris, quos ego, ad communem studiosorum omnium utilitatem, curo imprimendos, (nam esse aliqua non eo inficias) non mihi imputes, sed exemplaribus. Non enim recipio me emendaturum libros; nam in quibusdam *Oedipo* coniectore opus esset, ita enim mutilati quidam sunt et inuersi, ut ne ille quidem, qui composuit, si reuiuisceret, emendare posset: sed curaturum summo studio, ut uel ipso Exemplari imprimantur correctiores. Sic in *Appollonio* Grammatico fecimus. Sic in hoc libro in iis, quas addidimus, eclogis: rati, satius esse aliquid habere, quam nihil. Quod incorrectum est, si lateat, raro, uel potius nunquam, emendatur. Si uero prodit in publicum, erunt multi, qui castigent, saltem longa die. Sic in *Fabio Quintiliano*, sic in *C. Plinio Nepote*, sic in nonnullis aliis factum uidemus, qui quotidie emendantur, quotidie pristinae elegantiae et candori propius accedunt. Sed periniqui sunt et ingrati, si qui sunt, qui me accusent. His ego nihil imprecarer, nisi ut, quemadmodum ego, ita et ipsi, curarent aliquando imprimendos graecos libros. Sentirent certe longe aliter.

\*\*\* ad Lib. V. Ep. 9

\*\*\*\* In praefatione, *Plinianis* Epistolis praemissa, in editione Lipsiensis, MDCLXXV. forma octaua





aetate nostra, celeberrimus *Clericus Aldo* geminum' quid  
improperavit, in recensione dialogorum *Alcyonii*, de exilio\*

## §. XVIII

Libri ab Aldo  
ipso typis im-  
pressi fecer-  
nendi ab edi-  
tionibus Al-  
dinae officinae

Libris, apud *Aldum* impressis, omnino iam pretium  
tantum statuitur, ut, ob raritatem suam, atque nitorem, ma-  
nuscriptis propemodum aequiparentur: id quod mecum te-  
stebantur omnes, qui, de conquirendis editionibus *Aldinis*,  
unquam solliciti fuerunt. \*\* Magna tamen est differentia  
uoluminum, quae *Aldi* nomen et insigne gerunt. *Aldus*  
enim ipse, nonnisi ad annum MDXV, libros impressit. Postea  
typographiam *Aldinam Andreas, Aldi* focer, cum duobus  
filiis eruditis, administravit, *Afulanus*, a patria, pro consuetu-  
dine temporum illorum, uocatus. Cognomen autem ipsius  
gentilitium erat de *Torresani*, sicut e uoluminibus eius diuer-  
sis constat. Multis annis ante Typographiam Venetiis ha-  
buerat, quam *Aldus* ibi sedem figens, *Andreae* filiam con-  
iugio sibi copularet. 53) Vidit per illustris *Zenus* aliquos libros,  
ab

octava, publici iuris facta. Conferatur *Ludonici Carrionis* iudicium, de *Aldi Silio*  
*Italico*, in animaduersionibus *Crenianis* Parte VIII. p. 18. simulque probe no-  
tetur, non *Aldum* ipsum edidisse *Silium Italicum*, sed *Franciscum Afulanum*, qui  
primus, e uetusto eodice, uersus octoginta Libri VIII, post uersum 143. inser-  
tos, restituit

\* Tom. XIII. p. 119. Bibliothecae suae selectae, cui tamen ephemeridum hetrusca-  
rum collectores Tomo III. p. 6. merito reposuerunt: Il Sigr. Clerico aggiugne,  
che, se la correzione delle Greche Stampe di *Aldo*, fu fatta con la direzione di  
Lui, (*Alcyonio*) non gli diè molt' onore, poiche ue ne ha pochissime di ben cor-  
rette: il che in qualche conto egli è uero, ma però condonabile, in chi primo ci  
ha communicate tante bell' opere dell' antichità piu erudita, non ancora da tante  
posteriori edizioni ed offeruazioni, migliorate e illustrate, e che non lasciano tutta-  
uia di essere attentamente, ricerche da *Forastieri*, e riposte nelle loro Librerie,  
come cose di ualore e distima

\*\* cf. eruditissimus D *Fabricius* in Bibliothecae suae Latinae praefatione, et praefatio  
*M. Augustini Groschuffii*, Lipsiae MDCCX. in aetatis flore extincti, nouae li-  
brorum rariorum collectioni, Halis Magdeburgicis MDCCVIII. in officina  
*Rengeriana* editae, praefixa



ab *Andrea de Torresanis* euulgatos, ante annum MCCCCLXXX. et nominatim, editionem primam historiae latinae Venetae *Sabellici*, anno MCCCCLXXXVII. publicatam, quam in uita *Sabellici*, recentissimae editioni, anno superiori Venetiis excusae praefixa, studiosissime recensuit. Deinde uero, cum *Aldo* genero, commerciorum libreriorum rationes, omnes habuisse communes, uidetur. Hinc *Erasmus*, Adagiorum suorum opus, ab *Aldo* typis exscriptum, \* apud *Asulanum* primum esse natum, dicit. Ad manus est *Iuuenalis* et *Persius*, in Aedibus *Aldi* et *Andreae Soceri*, mense Augusto MDI. absolutus. Secutis annis plurima uolumina dedit *Aldus*, in quibus *Andreae* soceri nulla mentio facta. Num eatepestate quaedam inter ipsos separatio fuerit, adfirmare non ausim. 54) Quae autem apud *Aldum*, ab anno MDXIII. ad eius supremam horam, impressa sunt, omnia, ni fallor, et ipsius et *Andreae* soceri nomine prodierunt, quam loquendi formulam etiam *Asulani* post obitum ipsius, una cum insigni non minus quam typis, retinuerunt, ut *Aldi* nomine, credo, quae publica luce donabant, emtoribus tanto magis commendarentur. 55) Argumento sunt ea, quae *Franciscus Asulanus* praefatus est in *Pomponio Mela* anno MDXVIII. forma sua uulgato. \*\* Non pauca uero, quae debemus *Asulanis*, *Pausaniam*, *Strabonem*,


D 3

Laetan-

\* Lib. XVIII. Ep. 10

\*\* Tanta, inquit, est iuuandae rei literariae auita quaedam in nobis cupiditas, ut, si cubi operam nostram ab hominibus studiosis desiderari sentimus, protinus omnem diligentiam in eam partem, nulla sumtus aut laboris ratione habita, conferre conemur. Ut igitur e nostra officina (sicuti reliqua solent) *Pomponius Mela*, *Solinus* et alii quoque, hoc uolumine comprehensi, castigatiores aliquando exirent, id egimus, ut satis multae, quibus obfiti erant, mendae, quasi uepres de pulcherrimo agro, quoad eius fieri possit, tollerentur. Itaque uos hortor obsecroque, ut literis, summo studio, summaque industria, incumbatis; neue patiamini tot exhaustos labores, quos (ut olim *Aldus* sororius meus) *Andreas Pater* ego et *Federicus Frater*, quotidie uestrae utilitati destinamus, aduersa (ut aiunt) *Minerua* perire.





*Lactantium*, uersionem graecam septuaginta Interpretum, *Ciceronem*, *Hippocratem*, *Galenum* et alia ueterum opera praestantissima, dudum *Aldus*, ut ederentur, adhuc superstes, adpararat. Anno MDXXXIII. tandem Filius eius, *Paulus Manutius*, Iuuenis plus minus annorum uiginti, prouinciam paternam Amicorum suafu suscepit: id quod ab ipso, cum rei familiaris emolumento non ita magno, sed immortalis nominis gloria, factum; siue lucubrationes eius proprias spectemus, siue reliqua formulis ipsius emissa, quae, cimeliorum instar, aetate nostra, in Bibliothecis et publicis et priuatis, adseruantur. Hic *Aldo* iuniori, filio doctissimo, Patris et Aui uestigia dispari fortuna prementi, spartam istam ornandam reliquit. Ad quem uero peruenerit uenetiis *Aldina* Typographia, cum *Aldus* iunior, curis illis librariis sepositis, in Gymnasio Romano literas humaniores profiteretur, ad annum emortualem MDLXXXVII, non habeo compertum; nisi quod 80000. voluminum Bibliothecam, ipsi, penuria presso, fuisse uenalem, et *Barbuius* et *Thomasius* aliique tradant.\* De eo mihi modo constat, post *Aldum* iuniorem, Venetiis, e gente Manutiana, neminem amplius Typographiam exercuisse. 56) Libris autem istis omnibus, et *Afulanorum* et *Pauli Manutii* atque *Aldi iunioris*, Filii, senioris *Aldi* nomen et insigne praefixum, conspicitur. *Aldus* iunior addere quoque coepit *Aldi* senioris effigiem, cui in editione epistolarum *Pauli Manutii*, Venetiis MDLXXI. publicata, haec subiiciuntur Lectori: „*Qui Libri, cum Aldi iunioris nomine, seniorisque effigie, in posterum edentur, eos tantum scito Manutianae editionis esse.*“ 57) Sed anno MDLXXXIII. ex aedibus *Manutianis* prodierunt, *Pauli Manutii* Libri XI epistolarum, in quibus *Aldi* senioris effigies haud comparet. Ex-  
tat

\* de quo uideantur *Antonii Teisserii* *Elogia Thuanaea* Virorum eruditorum Gallice reddita atque cum additionibus edita Geneuae MDCLXXXIII. P. II. pag. 426





tat autem in fronte uoluminis Ancora *Manuziana* cum Delphino. Ancorae insidet alis expansis aquila, literam M. in pectore gerens. Scutum est argenteum, cui superimposita Galea coronata. Coronam Aquila, expansas alas habens, pedibus diuaticatis, utrinque tenet. Circa insigne illud, haec adposita leguntur: *Maximiliani II. Imp. Cæs. Aug. ex Priuilegio*

## §. XVIII


*Aldi* senioris insigne, quo, cum in officina, tum in libris, utebatur, erat *Delphinus*, *Ancora implicitus*. Primis tamen uoluminibus eius non comparet. Anno demum MDI, cum nouis suis characteribus, adhibuisse uidetur; nam in illius anni *Iuuenali* atque *Persio* conspicitur. Anno sequenti, MDII. *Stephanus* græcus, de urbibus, mense Ianuario, sine Ancora atque Delphino, sub exitum autem illius anni, *Ouidius* cum insigni dicto, præla reliquit. Dono miserat *Aldo Petrus Bemus*, Patricius Venetus, tunc iuuenis, omnis literariae antiquitatis diligentissimus peruestigator, compater ipsius summusque fautor, numisma argenteum, altera parte, faciem *Titi Vespasiani*, cum inscriptione, praeferens, altera, *Ancoram*, cuius medium, *Delphin* obuolutus, complectebatur. Innuebat autem *Augusti* Caesaris dictum: Σπευδε βραδευς, *festina lente*, quod *Titus* quoque *Vespasianus* in deliciis habuit. Haec opportunitas *Aldo* fuit, symbolum illud eligendi. Cum enim Delphinus omnium animalium sit perniciosissimum, et Ancora nauim remoretur, nihil aliud indicare uoluit eius usu, quam, quod et opus urgeat, et insimul det operam, ne, nimium festinando, boni scriptores a typographicis operis corrumpantur. \* 58)

Insigne Aldi  
a primis in-  
cunabulis  
illustratum

## §. XX

\* Neque uero symbolum hoc, dicit *Erasmus*, haec eadem memoriae prodens, *Adagior. Chiliad. II. Cent. I. p. m. 351.* tum illustrius fuisse crediderim, cum insculptum Imperatorio numismati, negotiatorum manibus terendum, circumterretur






*Aldinorum  
factores stu-  
diorum Ve-  
neti*

Inter Patricios uenetos, praeter *Bembum*, Patrem et  
Filium, habuit *Andream Nauagerium*, *Marinum Sannurum*,  
*Danielem Rainerum*, *Angelum Gabrielem*, *Aloysium Moce-  
nicum*, *M. Antonium Maurocenum*, *Marcum Molinum*,  
et alios, qui nobilissimum eius institutum eximiis studiis ad-  
iuuerunt. 59) *Petro Bembo Virgilium* dicauit; \* cuius caussa  
*Andreas*

retur, quam nunc, cum ubique gentium, uel ultra Christiani Imperii terminos, una  
cum omnigenis utriusque linguae uoluminibus propagatur, agnoscitur, renetur, cele-  
bratur ab omnibus, qui liberalium studiorum colunt sacra: praesertim iis, qui fasti-  
dita barbara ista pinguique doctrina, ad ueram atque antiquam adspirant erudi-  
tionem, ad quam restituendam Vir is, quasi natus, et ab ipsis, ut ita dixerim, fa-  
tis factus sculptusque uideretur: tam ardentibus uotis unum hoc optat, tam in-  
fatigabili molitur studio, usque adeo nullum refugit laborem, ut literaria sup-  
pellex, et integra et sincera puraque, bonis ingenis restitatur. Quam quidem  
ad rem, quantum iam attulerit momenti, tamen si fatis pene dixerim inuitis, res  
ipsa nimirum indicat. Quod si pulcherrimis planeque regis *Aldi* nostri uotis  
Deus aliquis, bonis literis Amicus, aspirauerit, et si quem numina laeua sinant,  
intra paucos annos, illud futurum polliceor studiosis, ut quicquid est bono-  
rum Autorum in quatuor linguis, Latina, Graeca, Hebraica, Chaldaica, tum  
autem in omni genere disciplinarum, id unius huius opera, et plenum habeant et  
emendatum, nullamque literariae suppellectilis partem quisquam desideret. Quod  
simul atque contigerit, tum uero palam fiet, quantum adhuc bonorum codi-  
cum in abdito sit, uel retrusum ob neghgentiam, uel suppressum quorundam am-  
bitione, quibus hoc unum cordi est, ut soli sapere uideantur. Tum denique  
cognitum erit, quam prodigiosis mendis scateant Auctores, etiam si qui nunc fa-  
tis emendati putantur. Cuius rei si cui libebit, uelut ex degustatione, coniectu-  
ram facere, *Plinianas* Epistolas, quae propediem ex *Aldina* officina prodibunt in  
lucem, cum uulgatis exemplaribus conferat, quodque ibi deprehenderit, idem  
in aliis expectet Auctoribus. *Heroulanum* mehercule facinus, ac regio quodam  
animo dignum, rem tam diuinam, quasi funditus collapsam, orbi restituere,  
latentia peruestigare, eruere retrusa, reuocare extincta, sarcire mutila, emen-  
dare tot modis deprauata, praecipue uulgarium istorum excusorum uitio, qui-  
bus unius etiam aureoli lucellum antiquius est, quam uel uniuersa res li-  
teraria . . . Et paulo post: *Aldo* haec molienti, quis non fauit eruditum?  
quis non suggestit aliquid, quod illum, laboribus tantis imparem, subleuaret?  
Quoties ad illum ab Hungaris ac Polonis missa sunt ultro uetusta exemplaria, non  
sine honorario munere, ut ea iusta cura publicaret Orbi 60)

\* Cogitanti mihi, *Bembe* doctissime, inquit, cui potissimum dicarem ea *Virgilii* Opera, quae  
cum





*Andreas Naugerius* non solum *Virgilium*, sed etiam *Lucretium*, *Ouidium* aliosque scriptores, diligenter recensuit. *Marinus Sanutus*, cui *Ouidii metamorphosin*, *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*, *Plinii iunioris* epistolas, aliosque libros, in animi grati significationem, publica dedicatione consecrauit, adiumento maximo fuerat, ut priuilegium ipsi, ex senatus consulto, omnium pene consensu, decerneretur. Quam utilitatem e *Danielis Raineri* fauore singulari perceperit, eius in *Tbucydidem*, graece anno MDII. characteribus Aldinis excusum, praefatio testatur. \* *Angeli Gabrielis* 61) preci-

E

bus

cum alibi, tum moriens sua ipse testatus est, inquiens: *cecini pascua, rura, duces*; † Tu occurristi dignissimus eo munere, et quia emendatissima emittuntur, idque auxilio *Naugerii* nostri, quem Tu amas plurimum, et te ipse obseruat, ob similitudinem, quae inter uos; *Virgilio* enim ambo simillimi: *Ambo florentes aetatibus Aones ambo, et cantare pares, et respondere parati*: †† et quia nihil immistum est alieni carminis, quod diuinitatis macularet maiestatem. Adde, quod paruam hanc enchiridii formam a tua Bibliotheca, ac potius iucundissimi tui *Bernhardi*, accepimus. Hic ipse etiam paucis ante diebus, quam haec scriberem, quosdam eadem forma libellos, quae est uenerandi senis, etiam unum et octoginta annos nati, mira benignitas, statim rogatus mihi commodo dedit, quod procul ab eo sint omnia, quae senem circumueniunt incommoda. Eadem enim manet liberalitas; idem ingenii uigor, eadem etiam memoria, quae iuueni fuit. Sic adhuc est laboris patiens, ut de illo uere dixeris: *Sed cruda Deo niriisque senectus*; ††† omnia praeterea, quae in sene *Catone* fuisse scripsit *Cicero*, in *Parente* tuo, facile inueniuntur. O felicem tali Patre Filium, et te Filio Patrem. Sed illius laudes non est hic scribendi locus. Nunc redeo ad *Virgilium*, cuius lusus, quos tu correctissimos habes, tunc edam, cum a te accepero: quod erit, ut spero, breui, additis et aliis, quae una cum illis uagari solent, et nostris quibusdam in *Virgilium* annotationibus; quae praefatio recusa legitur in *Virgilio*, apud *Aldum* iuniorem MDLXXVI, cum adnotationibus *Ioannis a Meyen*, *Bergizonii Belgae* forma octaua typis exscripto

\* Si quisquam est, inquit, *Daniel Rainere*, qui, ex hac nostra prouincia publicandi, uel potius, e duris ac tetricis carceribus, liberandi bonos libros, maximam uolu-

† Vossius de Poet. Lat. p. 238. opp. T. III. G)

†† Virg. Ecl. 7. u. 4. 5. G)

††† Aeneid. VI. u. 304. G)

ptatem





bus quotidianis *Aldus*, et *Constantini Lascaris* grammaticam graecam, omnibus numeris absolutam, et *Demosthenis* orationes, atque alia, formulis suis euulgata dedit. *Aloysius Mocenicus*, e membranis Gallicis, Venetias secum allatis, nonnulla subministrauit ad *Plinii* iunioris Epistolas, quae in prioribus editionibus desiderabantur. *M. Antonio Mauroceno*, *Lucanum Aldus* inscripsit, *Marco Molino*, *Ciceronis* officia destinarat; quae cum, fato praeventus, ipse prelo subiicere non potuisset, ab *Asulanis* edita, *Ioannes Baptista Egnatius*, anno MDXVII. *Molino* commendauit \*

## §. XXI

ptatem capiat, in his te esse, sum ipse optimus testis. Nam non solum in uis, quoties tibi fio obuiam, hortaris me, ut nec duris hisce temporibus cedens, nec laboribus ullis succumbens, constanter ac fortiter, ut coepi, pergam; sed etiam confers te saepe in aedes nostras, quidnam, uel latine, uel graece, uel etiam hebraice, (in tribus enim his linguis edoctus es) excludatur, uisurus. Taceo, quanto mihi adiumento sis, tuos, et Graecos et Latinos, commodando libros, admonendoque, ut id maxime imprimendum curem, quod studiosis summæ utilitati futurum putes. Nec quia unquam in te uel minimum inuidiae deprehendere, quod mea opera, et labore, bonae literae publicantur: ut quosdam pusillanimes et bibliotaphos notauit . . . sed de his haecenus. Non enim dubito, quin breui rumpantur inuidia. Quandoquidem uiuam modo, quicquid est lectu dignum, *Christo Iesu* fauente, exibat in publicum. Et praesertim, cum longe plures sint ex doctis, qui nobis et consilio, (sint) et libris, et opera, amore literarum, summo studio adiuuent, quam qui contra, quique nos de hac prouincia ubique locorum adamant, quam qui oderint. Quod indicant ad me a doctissimis fere quibusque epistolae, quo pergam in dies audentius. Tu uero, *Daniel* doctissime, sic nos assidue protegis, ut facile appareat, gaudere te mirum in modum communi rei publicae literariae bono

\* Non modo prudenter, inquit, sensisse, uerum etiam peramanter fecisse, uisus est mihi *Franciscus Asulanus*, Iuuenis cum literis, tum optimis moribus ornatus, qui mecum egit, ut hi tibi libri inscriberentur. Quos olim *Aldus* compater, graecae latinaeque linguae instaurator unicus, summo studio recognoscebat, (eorum enim lectione plurimum oblectabatur) idque ipsum eo feci libentius, quod ille tibi pridem hosce destinarat. Neque enim aliud dies noctesque cogitabat, quam ut amicos omnes, te uero inprimis, ornaret, nullumque munus omitteret in te honestando. Amavit enim te semper, iam inde a pueritia, omnique studio id egit, ut dignus eius disciplina euaderes. Ille igitur uiuens cum hosce tibi destinasset, non iniuria ego quoque illos tibi nuncupauit, quibus nihil ad uitam instituendam utilius, nihil ornatius esse potest



## §. XXI

Inter Italiae Magnates, praeter *Albertum Pium*, atque alios, gratiosissimam etiam expertus est, *Lucretiam Borgiam, Ferrariae Principem*, 62) cuius in se studia praedicat in praefatione *Stroziorum* poematibus MDXIII. praefixa.\* Praeterea tres summi Pontifices ipsum amplissimis Decretis ornarunt, quae hic, e *Nicolai Perotti* cornu copiae, ab *Asulanis* MDXVII. repetito, ad uerbum inferere placet

Italiae proce-  
res, dedit  
Aldo

## ALEXANDER PAPA VI

*Vniuersis et singulis praesentes literas inspecturis salutem et Apostolicam Ben. Quoniam dilectus Filius, Aldus Manutius Romanus, ad communem doctorum utilitatem, nouis excogitatis characterum formis, assiduam operam libris emendandis imprimendisque impendit, magnosque in ea re labores sumtusque facit, uereturque, ne insurgente inuidia, aemulationeque excitata, aliqui, sumto de eius characteribus exemplo, ad eandem formam libros imprimant, deque alterius inuento nouum sibi lucrum quaerant. Iccirco nobis fecit humiliter supplicari, ut, eius indemnitati de opportuno remedio prouidere, dignaremur. Nos, quoniam ea, quae ad literatorum commoditatem spectant, libenter annuimus, huiusmodi supplicationibus inclinati,*

E 2

nati,

\* Quoniam, alloquitur *Lucretiam*, in utriusque (*Strozii*) Poematis, Illustissimi Principes Familiae *Estensium* tolluntur in coelum laudibus, *Hercules* etiam tui mentionem quam saepissime, non sine tua summa laude, facit, quin *Gigantomachia*, quam extremis temporibus suis inchoauit, tantum tibi dedicata est; sub tuo nomine exire hos libros uolumus in manus hominum. Adde etiam, quod pro summis, quibus praedita es uirtutibus, dignissima es, quam laudent, honorent, uenerentur omnes, atque ipse inprimis, cum propter alia, tum quia *Academiam*, cui constituendae iam multos annos studeo, tuis opibus, tuo solius sumptu, facturam te, sinant tempora, ultro mihi receperis. Ais enim, nihil te magis cupere, quam et placere semper Deo immortalis, et iuuare mortales, tam, qui nunc sunt, quam nascituros omnibus seculis, relinquereque aliquid, cum e uita excefferis, quo, non sine summa laude uixisse, testeris






nati, ut ingenia, ad plura melioraque indies inuenienda, exci-  
tentur, librique, sublata omni aemulatione, diligentius prodeant  
impressi et emendati, confidenter de diligentia dicti Aldi,  
de cuius doctrina, et in libris emendandis studio, fide dignorum  
testimonio, facti sumus certiores, omnibus et singulis impresso-  
ribus, et artem in Italia exercentibus, sub excommunicatio-  
nis, illis autem, qui in Alma urbe nostra, et terris nobis me-  
diate vel immediate subiectis morantur, sub eadem, et con-  
fiscationis librorum impressorum poenis, quas contrafacientes,  
absque alia declaratione, eo ipso incurrere volumus, districtius  
inbibemus, ne per spatium decem annorum a tempore cuiusuis  
libri, tam graeci, quam latini, ab eodem Aldo impressi, illis  
ipsis, aut similibus characterum formis, pro eorum voluntate, aut  
ad instantiam quarumcunque personarum cuiuscunque dignita-  
tis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, praeminentiae vel con-  
ditionis fuerint, quouis quaesito colore, imprimere aut imprimi  
facere, quouis modo praesumant. Volentes, ut omnes et sin-  
guli librorum venditores, penes quos dicti libri, etsi extra Ita-  
liam impressi essent, inuenti forent, similes poenas incur-  
rant. Mandantes nihilominus dilectis filiis, nunc et pro tem-  
pore, locorum ordinariis, per ipsam Italiam existentibus,  
quatenus per se, uel alium, seu alios faciant, auctoritate no-  
stra, inhibitionem nostram huiusmodi inuiolabiliter obseruari,  
contradictores per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iu-  
ris remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad  
hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus  
constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque  
contrariis, quibuscunque. Datum Romae apud sanctum Pe-  
trum sub annulo Piscatoris XVII Decembris M. D. II. Pon-  
tificatus nostri anno undecimo

DILE-





DILECTO FILIO  
ALDO MANTIO  
CIVI ROMANO VTRIVSQUE LINGVAE  
LIBRORVM INSTAVRATORI  
IVLIVS PAPA II

*Dilecte fili, salutem et Apostolicam Ben. Cum tu, cuius personam multis virtutum donis insigniuit altissimus, magna tui ingenii vi, variisque laboribus, in excellenti doctrina, Deo nostro auctore, quam plurima, graecorum et latinorum auctorum, librorum volumina summa cura et diligentia castigata, a paucis annis citra ad communem omnium literatorum utilitatem, characteribus, quos vulgus cursiuos seu cancellarios appellat, imprimi tam diligenter ac pulbre curaueris, ut calamo conscripta videantur, librosque alios, utpote Platonis, Aristotelis, et aliorum philosophorum, auctorumque maiorum, ut dilectus filius nobilis, Vir Albertus Pius de Sabaudia, Carporum Comes, carissimi in Christo filii nostri, Maximiliani, electi Imperatoris, semper Augusti, apud nos orator, nobis exposuit, sis paratus, eisdem characteribus excudere, et in lucem mittere, quae res studiosorum animos, non solum uebementer delectabit, sed etiam mirum in modum ad studia accendet: proinde Albertus ipse, ut bonarum artium ac literarum praecipuus est cultor, ita virtutis tuae, laborumque tuorum rationem haberi desiderans, ut in dies de bono in melius proficere, et emendandis, graecis ac latinis, libris huiusmodi, quod (ut accepimus) diligentissime facis, commodius alacriusque vacare possis, nobis attentius pro te supplicauit, ut indemnitati tuae, ne alius tuos sibi vendicet labores atque vigilias, honoremque, et praemia, merito tibi debita ex uirtute tua, percipiat, paterne consulere, ac laborum, meritorumque tuorum et impensarum, quas propterea te subire oportet, aliquam rationem habere*






uellemus. Nos igitur praemissa paterno consyderantes affectu, ac singulos, qui ad bene agendum tendunt, virtutumque sunt cultores, quantum cum Deo possumus, opportunis gratis, et fauoribus prosequi cupientes, dictique Alberti, ac tuis in hac parte supplicationibus annuentes, uniuersis et singulis impressoribus et caeteris personis, ad quarum praesentes nostrae perueniunt notitiam, in toto christianorum orbe constitutis, sub excommunicationis lata sententia, et in nostris atque sanctae Romanae ecclesiae ciuitatibus atque terris, nobis et eidem ecclesiae, mediate uel immediate subiectis, degentibus personis, quingentorum ducatorum auri, et amissionis librorum, quos impresserint, per contrafacientes incurrendis, et camerae apostolicas applicandis poenis, inbibemus expresse, ne, quae post hae quindecim annis durantibus, a data praesentium inchoandis, et successiue finiendis, et graece et latine imprimenda duxeris librorum volumina, imprimere, neue latinarum literarum characteres cursiuos siue cancellarios, ut praesertur, facere contrafacere, aut imitari, curareue per alios fieri imprimi, ipsiue characteribus libros excudere, vel impressos venundare possint, siue debeant, aut quouis modo praesumant. Decernentes ex nunc auctoritate apostolica, absque alia declaratione, contrafacientes, et non parentes omnes, excommunicationis sententia ante dicta eo ipso ligatos esse, et a subditis nostris ultra illam pecuniariam, et amissionis librorum poenam, ab exactoribus et commissariis nostris integre et irremissibiliter pro eadem camera exigendam fore, et quam sic exigi volumus, et per praesentes mandamus. Verum, ut huiusmodi inbibitionis atque decreti nostri ignorantiam nemo praetendere possit, uniuersis et singulis nostris et Apostolicae sedis legatis, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus et eorum Vicariis ac Gubernatoribus, Potestatibus et caeteris officialibus nostris, qui praesentium

nostra





*nostrarum vigore fuerint requisiti, mandamus expresse, ut literas ipsas, in locis ecclesiarum suarum atque Dioecesum consuetis, publicari, atque obseruari faciant, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque controuersis quibuscunque. Caeterum, quia difficile admodum foret, praesentes nostras literas ad singula loca deferri, volumus atque decernimus, quod earundem literarum transumptis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae, in ecclesiastica dignitate constitutae, munitis, ea prorsus ubique adhibeatur fides, quae praesentibus nostris adhiberetur, si forent exhibitae uel ostensae. Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris Die XXVII Ianuarii MDXIII. Pontificatus nostri, anno decimo*

## LEO PAPA X

*Vniuersis et singulis, ad quos hae nostrae peruenerint, salutem et Apostolicam Ben. Quoniam dilectus Filius, Aldus Manutius Pius Romanus, qui iam tot annos, pro virili de re literaria bene mereri, non cessat, in eoque genere, ac praesertim tum exacte emendandis, tum omni cura et studio imprimendis graecis latinisque libris, atque iis quidem literis, in chalybem tam docte eleganterque incisus, ut calamo scriptae esse uideantur, magnos sumptus facit, magnos labores sustinet, ac propterea ueretur, ne sua haec industria et labor aliis, qui inde capere exemplum possent, lucrum magno suo cum damno pariat; nobis humiliter supplicari fecit, ut ad eam rem pastoralem curam nostram adiicere dignaremur. Nos igitur, qui literarum et omnium bonarum artium studiosos, quantum in nobis fuit, semper fouimus et amplexi sumus, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut hominum ingenia ad honestiores, utilioresque rerum usus, uel indagandos uel inueniendos, indies magis*

*magis*





magis excitentur, librique utriusque linguae, longe diligentius emendatiusque, in studiosorum manus emittantur, atque cum ipso Aldo, cuius doctrinam et rectum ingenium, mirificamque diligentiam satis cognitam et perspectam habemus, commode benigneque agere cupientes, omnibus et singulis, ad quorum notitiam praesentes nostrae peruenerint, sub excommunicationis latae sententia, in nostris uero et S. R. E. ciuitatibus, terris et locis degentibus, nobisque et dictae Ecclesiae mediate uel immediate subiectis praeterea quingentorum Ducatorum auri, et amissionis omnium librorum, quos impresserint, incurrendis, cameraeque nostrae Apostolicae applicandis poenis expresse inbibemus, ne per spatium quindecim annorum, a tempore cuiusuis libri tam graeci quam latini, quem ipse Aldus et ante hac curauit et posthac curauerit, imprimendum iis characteribus, quos ipse inuenit, uel edidit primus, et quibus adhuc usus est, uel quos imposterum inuenerit, imprimere, uel imprimi facere, neue characteres eos, quos cursiuos siue cancellarios appellant, imitari, et assimilatione adulterare, aut curare, id per alios faciendum, librosque eiusmodi formis excudere, aut excusos uenundare, ullo modo praesumant. Atque eas ipsas poenas incidere eos uolumus, penes quos id genus libri uenales reperientur; decernentes nibilo minus auctoritate Apostolica, absque alia declaratione, omnes, quicumque contra inhibitionem hanc nostram facere ausi fuerint, ante dictae excommunicationis sententiae, obnoxios illico fieri. A subditis uero nostris, et S. R. E. ultra poenam excommunicationis eiusmodi, ab eis incurrendam, pecuniariam etiam, et amissionis omnium librorum, ut praefertur, a Camera nostra Apostolica, irremissibiliter exigi debere; itaque per praesentes decernimus. Atque, ut huius inhibitionis et decreti nostri ignorantiam, praetendere nemo possit, uniuersis et singulis nostris, et Apostolicae sedis Legatis, Patriarchis, Archi-





*Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et locorum ordinariis, eorumque locum tenentibus, et Vicariis, Gubernatoribus praeterea, praetoribus et caeteris officialibus nostris, qui, praesentium nostrarum uigore, fuerint requisiti, mandamus expresse, ut literas ipsas in locis consuetis ecclesiarum, Dioecesium, et administrationum suarum, publicari faciant, ipsique Aldo, pro consequendo effectu Decreti, et inhibitionis huius nostrae, ubi, et quoties opus fuerit, omni fauore et auxilio suffragentur, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque, in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Caeterum, quia difficile admodum foret, praesentes nostras ad singula loca deferri, volumus atque decernimus, ut, his ipsis literis, in plura exempla typis excusis, et sigillo alicuius Legati nostri, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus nostris, si exhibitae uel ostensae forent, adhiberetur. Tum, si quis harum nostrarum publicationem quouis modo impedire, seu obstare ne publicentur, seu publicatas, et ubiuis locorum de more affixas, lacerare delereue, aut amouere, amoueriue curare, idque scienter facere, praesumpserit, eum uolumus et declaramus, supra dictae excommunicationis poenae, itidem subiacere. Volumus autem, et Aldum ipsum in Domino hortamur, ut libros iusto pretio uendat, aut vendi faciat, ne his concessionibus nostris ad aliam, quam honestum est, partem utatur; quod tamen eum, pro sua integritate, atque in nos obseruantia, curaturum, plane confidimus. Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXVIII Nouembris M D XIII Pontificatus nostri, anno primo*

P. B E M B V S

F

§. XXII





Honestissima  
temporis  
avaritia

Temporis *Aldus* dispensator exactissimus erat, et omnes horas periisse sibi putabat, quas ornandae spartae, quam nactus erat, haud impendisset. Vnde, ne damnum e nimis salutationibus faceret, officinae vestibulo inscripserat: *Quisquis es, rogat te Aldus etiam atque etiam, ut, si quid est, quod a se velis, perpaucis agas, deinde actutum abeas; nisi, tanquam Hercules defesso Atlanti, veneris, suppositurus humeros: semper enim erit, quod et tu agas, et quotquot huc attulerint pedes.\** Quam inscriptionem postea, *Ioannes Oporinus*, Typographus *Basileensis*, et *Zacharias Ursinus*, 63) Theologus *Palatinus*, suam quoque fecerunt. In *Patinianis* p. 33 eadem *Aldo* iuniori tribuitur. Haec in memoriam mihi reuocant historiolum, admodum lepidum, quam *Erasmio Roterodamo*, cum *Aldum* inuideret, usu uenisse, ferunt. Nam, *Bononiae* de suis Adagiis edendis cogitans, quaesivit per literas ex *Aldo*, num librum imprimere uelit. Quo libenter annuente, non multo post, *Erasmus* ipse profectus est *Venetias*, ubi, cum in *Aldi* uenisset officinam, nemini notus ob peregrinitatem, ipsi diu prius fuit expectandum, quam ad colloquium admitteretur. *Aldus* enim, typis corrigendis occupatus, e uulgaribus saluatoribus, quempiam se conuenire uelle, putabat. Intellecto uero, *Erasmum* adesse, confestim accurrit, ueniamque precatus, hospiti notio, humanitatis officia omnia prolixè probauit.\*\* *Aldus* contra, cum aliquando *Mediolanum* excurreret, a *Iacobo*, *Antiquario Perusino*, 64) cui *Plutarchi* *Moralia*, anno MDVIII. fol.

\* Vid. *Theodori Zwingeri* *Theatrum uitae humanae* uolum. XX. Lib. III. p. 3713. *Theophilus Spizelinus* in *Literato felice* p. 1035, postrema uerba sic expressit: semper enim erit, quod et tu agas, et *Aldus*

\*\* uid. *Melchior Adami* in *uitis philosophor.* German. p. m. 91



fol. graece edita, dedicauit, his elegantissimis hendecasyllabis, exceptus fuit: \*

Aldus uenit en, Aldus ecce uenit,  
 Nostrum sinciput, occiputque nostrum,  
 Mel, sal, lac quoque, corculumque solus,  
 Graios altera, et altera latinos,  
 Qui, apprehendendo manu, reduxit omnes,  
 In verum modo limitem, superbos  
 Victores superans olympiorum.  
 Nunc, o nunc Iuuenes, ubique in urbe,  
 Flores spargite, uere namque primo,  
 Aldus uenit en, Aldus ecce uenit.

Nullis temporum difficultatibus, nullis curis, nullis aerumnis, Aldus, in administranda prouincia sua, frangebatur. Hinc Erasmus \*\* adseuerat, ipsum, uel senem fere septuagenarium, animo ad literas, mire iuuenili, fuisse, sique nonnunquam aliqua, minus auspicato, succedere uidebantur, illico se consolabatur

Θαρσειν χρη Φιλος Αλδε. ταχ' αυριον εσσει' αμεινον  
 Ελπιδες εν ζωοισιν ανελπισοι δε θανοντες  
 X' ω ζευς αλλοκα μεν πελει αιθριος αλλοκα δ' υει †  
 Cras melius fortassis erit. Confide Manuti  
 Viuentes sperant: non est spes ulla sepultis,  
 Et quandoque pluit Deus, et quandoque serenat

F 2


Hos

\* Eruditissimus D. Fabricius Bibliothecae Graecae Libro [IV. C. XI. p. 371

\*\* Lib. XXIII. Ep. 5

† De his uersibus Theocriti uid. florileg. Stobaei P. II. p. 463. G)





Hos enim uersus ipsum frequenter in ore habuisse, certiores nos fecit *Aldus* iunior, in epistola quadam, ad *Angelum Roccam*, in Vaticano Kal. April MDLXXXVI data

## §. XXIII

*Ipsius Aldi  
monimenta,  
typis manda-  
ta suis*

Non solum autem lucubrationes alienas, typis suis exscriptas, sed proprias quoque, posteritati reliquit. Grammaticam eius latinam, 65) ante annum MD, prima uice uulgatam, nuper illustris *Salengrius* recensuit. \* Eiusdem *Aldi* grammaticae graecae institutiones, mero sermone graeco conscriptae, 66) post obitum suum cum praefatione *Musuri*, Venetiis MDXV in 4. chartis 34 allegat *Gesnerus*, in Bibliotheca uniuersali folio 22 et 23 editionis MDXXXV. Idem *Aldo* tribuit opusculum, de dierum generibus, sex foliis impressum. Extant et adnotationes eius in *Horatium*, mihi nunquam uisae. 67) Geminis adnotationibus quoque *Virgilium* illustrare decreuerat, quae num prodierint, me plane fugit. Adhaec notis quibusdam *Homerum* explanasse, *Caillio* dicitur, dans l'histoire de l'Imprimerie p. 24. *Homeri* poema, de ranarum et murium pugna, latinis uerbis expressit oratione prosa sic, ut uersus uersui respondeat. Idem

*Con-*

- \* *Alde*, inquit, *Manuce*, sur nommé le Romain, est, ie crois, le premier, qui prit la peine, de faire une Grammaire sur la Langue Latine, dans les formes; Il y trouuailla avec succes: sa Grammaire est diuisée en parties, dans lesquelles il explique ce qui regarde cette langue, soit dans sa Construction prosaïque, soit dans sa construction poetique. Cet ouurage, qu'on peut encore lire avec quelque utilite, fait par tout paroître la modestie, et le fauoir de son Auteur. Il auoit raison de se flater, que son travail applaniroit aux ieunes gens le chemin, qui mene a l'eloquence

Non mihi per scopulos aut deuia paruus Iulus

Ducitur Aonias ebibiturus aquas.

Est uia per placidos colles, per florea rura

Hac iter ad Musas perbreue carpe puer.

On lit ces uers a la tete de sa Grammaire. Cette Grammaire fut imprimée a Paris pour Ponce le Preux en 1500. Memoires Litteraires Tom. I. p. 163. 164.




*Constantini Lascaris* grammaticam graecam, *Phocylidem*, *Pythagorae* carmina aurea, *Aesopi* et *Gabriae* fabulas, ali-  
aque latine reddidit. 68) *Ouidio* uero et *Statio*, aliisque for-  
tasse scriptoribus ueteribus, orthographiam et indicem  
dictionum graecarum, 69) adiecit. Praeterea partem haud con-  
temnendam habuit *Aldus*, in *Varini Phauarini Camertis*  
thesauro cornucopiae, et hortis *Adonidis*, anno MCCCCLXXXVI,  
prima uice, Venetiis, apud ipsum, euulgatis; \* de quo  
opere et editione in primis rarissima anni MCCCCLXXXVI,  
egerunt celeberrimi collectores ephemeridum hetruscarum,  
*Giornale dei Letterati d'Italia Tomo XIX. p. 102 ad no.* Se-  
quenti anno, MCCCCLXXXVII mense Decembri, dedit  
*Aldus* dictionarium graecum copiosissimum, secundum or-  
dinem Alphabeticum, cum interpretatione latina, et indice  
copioso, docente, latinas dictiones, fere omnes, graece  
dicere, et multis etiam modis. 70) Quo nomine *Dauides Hoe-*  
*selius*, in praefatione ad *Martini Rulandi* synonyma, *Al-*  
*dum* merito primum nominauit, qui *Lexicon*, cum latina-  
rum

F 3

rum

\* Ecce, inquit, habetis opus oppido quam utile, et necessarium, quod *κερας*  
*αμαλθειας*, quod *κηπρος αδωνιδος*, quod iure THESAURVM, appella-  
uerim. In eo enim fere omnia reposita sunt, quae desiderare quis possit, ad  
perfectam absolutamque cognitionem literarum graecarum, et eorum praecipue,  
quae leguntur apud Poetas, qui uerba uariis figuris ac linguis, ita saepe im-  
mutant, ut facilius sit Nili caput, quam alicuius temporis thema, aut princi-  
pium inuenire. Sed hoc libro quam facillima facta sunt omnia. Primus labor  
in eo fuit *Guarini Camertis*, et *Caroli Antonorei Florentini*, hominum multi-  
tudinis, ac in graecarum literarum lectione frequentium. Hi simul ex *Eustachio*,  
*Etymologico*, et aliis dignis Grammaticis, accepere haec Canonismata, diges-  
tereque per ordinem literarum, nec sine adiumento et consilio *Angeli Politiani*,  
uiri summo ingenio, ac impense docto. Secundus uero labor, meus fuit:  
qui ea omnia recognoui, non paruo labore cum iis conferens uoluminibus,  
unde excerpta fuerant. Multa enim addidi: plurima immutavi, adiuuante in-  
terdum *Urbano*, diui *Francisci* Fratris optimo: a quo breui habebitis, quas  
summa cura ac doctissime composuit, in graecam linguam introductiones 71)





rum uocum indice, publicarit. \* Voluminibus autem tantum non omnibus, in aedibus *Aldi* praelo subiectis, ipse praefationes latinas, lectu dignissimas, nonnunquam etiam graecas, id quod MDXIII in *Suida* factum, praemisit: quae sane merentur, ut, uno fasciculo collectae, simul imprimerentur. Denique, ex innumeris *Aldi* epistolis, paucae tantum typis exscriptae leguntur. Vna datur inter epistolas *Politiani*. Alia, ni fallor, inter epistolas clarorum virorum ad *Reuchlinum* extat; volumen enim iam inspicere non licet. Aliam dedit *Goldastus*, in epistolis philologicis, ad *Conradum Celtam* et *Vincentium Longinum*, exaratam. Aliam ad *Georgium Spalatinum*, anno MDXIII datam, *Friedericus Heckelius*, manipulo primo, selectarum epistolarum p. 21. 22. publici iuris fecit. Aliam ad *Heinricum Urbanum*, *S. Bernbardi* sacerdotem, anno MDVI. d. 22. Februarii scriptam, *Melchior Adamus* uitae *Conradi Mutiani Ruffi*, ICTI Gothani, inseruit, in uitis Iureconsultorum german. p. m. 22. Praeter istas paucas, ad notitiam meam, nullae peruenierunt. Plures dubio procul adhuc ineditae passim in Bibliothecis, et publicis et priuatis, adseruantur

## §. XXIII

Ex uxore sua, *Andreae Asulani*, supra laudati, *Filia*, cuius nomen ignoratur, *Aldus* quatuor suscepit Filios, *Antonium*, *Manuzium*, *Paulum* et *Franciscum*, 72) a matre uidua, sub aui tutela, post mortem patris, educatos. Qua de re *Andreas Asulanus*, in praefatione, praefixa Epistolis Heroi-

*Aldi filii eorumque operae*

\* De quo indice *Aldus* ipsemet ita praefatur ad Lectorem. Cum indicem istum, quem impressum uides, componere cogitarem, etsi nec impensae parum, nec laboris, mihi futurum sciebam; tamen, ut te et caeteros, qui graecas literas discere concupiscitis, quocumque possem uodo, inuarem, contempsi utrumque. Hinc enim, cum dicere graece aliquid uoles, discere facile poteris, et multa, etiam multis modis





Heroidum *Ouidii* ad *Bernhardum Diuitium*, a patria *Bibien-*  
*nam* dictum *S. Mariae* in porticu Diaconum Cardinalem,  
conqueritur. \* *Antonius et Franciscus Manutii*, Fratres,  
typo-

\* Multas, inquit, ob causas magnum mihi dolorem attulit *Aldi* generi mei mors. Primo, non solum generum, (quod ipsum tamen per se graue solet accidere) sed eum generum, qui et doctissimus et optimus omnium uir esset, amittebam. Deinde, cum is uiduam mihi filiam, quatuor orbos nepotes relinqueret: neque ego illos, maxime ope mea indigentes, deserere ullo pacto aut deberem aut uellem: magno id mihi oneri futurum esse uidebam. Accedebat ad haec: atque id maxime dolorem meum augebat, quod magnam mihi, et latinae et graecae literae huius morte iacturam facere, uidebantur. Omnes enim eo ille cogitationes suas direxerat, omnes neruos eo contenderat, uti ueterum scriptorum libros, foeda quadam proximorum saeculorum barbarie pollutos, castigaret, ac bonas literas, prope iam collabentes, restitueret: in quo cum multum, studio ac diligentia quadam singulari, profecisset, neque tamen quod optabat, alienissimo tempore ereptus, perficere potuisset, id quasi in me onus eo defuncto recidere uidebatur. Hoc uero eo mihi erat caeteris molestius, quod, carissimi mihi generi iacturam, in me erat, ut modeste ferrem, priuatis opibus et filiam et nepotes tueri poteram: hoc, neque quo pacto ferre possem, neque quo pacto recusarem uidebam. Si id, cui se ille ipse omnium doctissimus uix parem arbitrabatur, ego qui uix haec scribo, qui literis paululum admodum institutus sum, subirem: non solum, ne opprimerer, timebam: sed multo magis ne impudentissimus iudicaret. Quicquam uero oneris, quod ab illo mihi impositum ac relictum esset, recusare, neque amori, quo illum semper profecutus sum: neque fidei, quam ille de me semper maximam habuit, conuenire, existimabam. Suscepi igitur praesenti animo, et impudens potius haberi quam officio deesse uolui. Ne mihi tamen aliquando, aut quod semel suscepissem, abucere, aut succumbere necesse esset, recte mihi consulturus uisus sum, si, quod meis uiribus non possem, alienis sustinerem. Itaque *Aldum* ipsum, quae in re potui, imitatus sum, et quod ipse, quamuis omnium bonarum artium peritissimus, sibi agendum tamen ducebat, id egi. Nunquam ille suo tantum iudicio credendum censuit, ut aliorum repudiaret; quoties libros aliquot editurus erat, si quos nouerat, qui in illis elaborassent, eos adhibebat: atque eorum opera in his castigandis maxime utebatur. Idem mihi, ego, et eo etiam magis faciendum existimaui, quo minus per me quicquam in hoc sine aliorum auxilio praestare possum. Atque id a me cum in aliis multis tum Latinis tum Graecis libris, quos post illius mortem edidi, tum nuper in *Ouidio* factum est, qui nunc ex officina nostra is prodit, ut qui prius multis in locis corruptissimus circumferrebat, in eo pauca admodum desiderari posse uideantur. Id adeo *Andreae Naugerio* referre acceptum debemus, qui, cum illum ex ueteribus permultis exemplaribus diligentissime castigasset, labores suos impertiri omnibus uoluit, ac mihi imprimendum dedit





typographicam artem, nunc *Venetis*, nunc *Bononiae* exercuerunt. 73) Editae sunt tribus voluminibus octavae formae, *Venetis*, Epistolae vulgares in aedibus Filiorum *Aldi*. Volumen primum MDXXXVIII. *Paulus Manutius*, *Friederico Badoerio* et *Dominico Venierio*, Senatoribus Venetis, secundum *Antonius Manutius* MDL. *Paulo Trono*, tertium *Aldus Pauli* filius MDLXVII. *Calantonio*, *Caracciolo Marchioni Vicensi*, dedicavit. 74) *Bononiae* *Antonius Manutius* Anno MDLVII. typis suis excudit: *Pianto della Signora Marchesa di Pescara*, (*Victoriae Columnae*, 75) *Foeminae eruditissimae*) *sopra la passione di Christo*. *Orazione della medema sopra l' Aue Maria*, con un sermone di *Benedetto Varosi*, recitato alla croce il *Venerdi Santo*, ed una meditazione d' un devotissimo Uomo sopra la passione di Christo, stampati insieme con il capitolo della detta signora *Marchesa de Pescara*, del *Trionfo di Christo*, in *Bologna*, per *Antonio Manuzio* MDLVII. in octavo. Quid *Manuzio*, cuius nomen mihi perillustris *Zenus*, indicavit, tertio *Pauli* fratre, sit factum, iuxta cum ignarissimis novi. 76) *Fratribus autem illis Pauli*, commercia libraria minus compendiosa fuerunt. Vnde conqueritur *Lib. VIII. Ep. 5. de domesticis incommodis*, quibus fratrum suorum culpa laborarit, cum *Venetis Romam* ad *Vaticanam Typographiam* dirigendam se conferret. Ipse *Paulus* 77) eruditione latina *Patri doctissimo* superior, sed fortuna prorsus impar, uestigiis paternis insistens libros imprimere coepit anno MDXXXIII. 78) initio ab *Epistolis Ciceronis* ad familiares facto. Num e *fratribus Pauli*, posteritas *Manutiorum* mascula, *Bononiae* superfit, aut alibi locorum, nusquam adnotatum reperi

## §. XXV

Supremum diem *Aldi*, cum *Morerio*, nonnulli ad annum MDXIII. alii, cum *Tirino*, ad annum MDXVI. retulerunt.


*Aldi tempus  
emortuale li-  
teris luctuo-  
sum.*



lerunt. Sunt etiam, qui cum *Beugbemio*, in artis typographicae incunabilis, ipsum anno MDXX. adhuc claruisse, credant. 79) Verum, e superius allatis, euidentissime patet, eum, anno MDXV. mense Ianuario, iam ab aliquot mensibus non ualuisse satis, et ante mensem Aprilem, eiusdem anni, confortio mortalium ereptum esse. Nam in *Lactantii*, tunc editi, praefatione obitus ipsius, recens factus, deploratur. Qui putant, eum anno demum MDXVI. uiuere desuisse, seducti forte sunt praefatione, qua *Bessarionis* Cardinalis libros, aduersus calumniatorem *Platonis*, *Accursio Mainero Auenionensi*, Iureconsulto, Gallorum Regis apud *Venetos* oratori, nuncupauit. Volumen enim illud, non nisi mense Septembri MDXVI. praela reliquisse, uidetur. Facile uero mihi persuadeo, iam antea publice comparuisse typis *Aldinis*, et editionem anni MDXVI, non esse primam, sed, ut *Aldi* libri non pauci, repetitam, 80) quam *Afulani* dederint, ob argumenti similitudinem, cum, eodem anno, mense Novembri, *Iamblicum*, de mysteriis Aegyptiorum, Chaldaeorum et Assyriorum, aliosque Platonicos, ex interpretatione *Marcellii Ficini*, denuo uulgarent. Nam in operis fine lectoribus nunciat *Andreas*, *Aldi* Socer, quemadmodum *Aldus* uiuus operam dederit, ut per suos artifices, imprimerentur monimenta *Iamblichi*, fideliter et accurate; sic *Andream*, Socerum, cum iisdem librariis egisse, ut, in studioforum gratiam, iterum ederentur 81)

Vbi *Venetis* sepultus sit, nondum noui, neque epitaphium ipsi positum fuisse, fidem, et perillustres *Zenus*, et alii, mihi fecerunt: id quod, siue calamitatibus illius aetatis publicis, siue casibus priuatis quibusdam *Afulanorum*, adscribendum coniecto. Sed, aere perennius monumentum ipse sibi parauit, literis graecis atque latinis, opera typographica sua, uelut a mortuis resuscitatis, uitamque tot exquisitissi-





mis scriptoribus restituens, apud orbem eruditum, nominis sui gloriam, nunquam desituram, est adsecutus. Quod si Deus O. M. *Aldo*, quamuis aetate fere iam exacta denato, vitae paulo diuturniorem usum concessisset, sperare poteramus ab ipsius industria, quae nobis uix ullus mortalium, nunc temporis, receperit. Nam et *Trogum Pompeium*, 82) cuius integrum exemplum, manuscriptum in amici cuiusdam manibus fuisse, scribit, praelis subiicere suis constituerat, et ipsum *Liuium*, 83) omnibus partibus absolutum, se daturum aliquando, non plane desperabat. Qua de re praefatio, *Pomponio Festo* anno MDXIII. praemissa, legatur. Eo uero fatis functo, neque de *Trogi Pompeii* exemplo manuscripto, quicquam amplius est inauditum, neque *Liuium* integrum adhuc uspiam eruere, licuit illis, qui studiosissime, uel in ipsis orientis bibliothecis, frustra requisitum, multis aureorum nummorum millibus, redimere cupiebant

## §. XXVI

*Elogium Aldi*

Concludam hanc de *Aldo* tractationem, illius elogio triplici, quorum primum latinum, a *Ioanne Baptista Egnatio*, alterum graecum, a *Marco Musuro*, postremum hetruscum, a *Syluestro Aldobrandino*, summae doctrinae uiris, et aequis iudicibus, profectum. *Egnatius Aldo*, statim altero mense, posteaquam e uiuis excefferat, in *Laetantii* praefatione, ad *Antonium Triuultium*, Galliarum Regis oratorem *Venetum*, ita parentauit: *Graue nuper uulnus accepimus, Antistes integerrime, atque ex Aldi Manutii morte, maius opinione omnium, incommodum: neque uero uni hoc mihi tantum contigit, qui hominis amicissimi iucunda consuetudine, et officiorum coniunctione charissimi, priuatus sum, sed uniuersis plane literatis, ac bonarum artium studiosis; ut, interitu singularis ac eximii viri, non possimus non etiam*



etiam atque etiam omnes commoueri. Auget uero molestiam hanc nostram, quod, in tanta doctorum uirorum, ac bonorum librorum, penuria, quanta hoc tempore plane dignoscitur, uir, et egregie doctus, et ad rem literariam, suo periculo ac labore, iuuandam natus, alieno admodum tempore sublatus est; ut plane et doctrinae suae, et singularis industriae, triste omnibus desiderium, reliquerit. Ad haec autem doloris acerbitas, eo grauior, quotidie recrudescit, quod cum literatis omnibus ita vixit, ut, cum nullius unquam obtrectarit aut aduersatus sit laudi, omnes incredibili pietate, semper et amplexus sit, et fouerit; ut nemo fere in omni Europa sit, uel mediocriter eruditus, qui non singulari aliquo Manutii beneficio sit affectus. Illi igitur, et ego cum illis praecipue, iure doleo, dolendumque magis omnibus censeo, quando uir ille defunctus uita sit, cuius industriae parem, nec nostra, nec superior aetas, habuit. Quod si memoriae proditum est, uel mediocrium hominum morte, uel etiam auicularum interitu, ciuitates etiam magnas doluisse, solennique pompa populum Romanum corui funus celebrasse: quis non plane angatur animo, cum amissum extinctumque illum uirum intelligat, qui rem literariam, iam lapsam, ac prope desperatam, solus fere, erexerit et restituerit? cuius erectae ac restitutae laus, tanto maior insignique existimari debet, quanto grauior literarum amissio futura erat, quam imperii et finium diminutio. Illae enim, cum semel amissae sunt, non modo non reuiuiscunt, aut terrarum alibi florent, sed ita plane intercidunt, ut earum uestigia uix supersint. Imperium uero ac summa rerum, ut apud unum populum gentemue intercidat, sic alibi laetius illustriusque exsurgit, ut ex unius populi nationisque lapsu, maiestas illa et splendor imperii, opumque magnitudo, ad alium, maior ac clarior saepe, transferatur. Cæterum, quando nec Aldo perpetua felicitas promissa fuerat, nec nos in homine sperare id poteramus:






mus: dolori nostro terminum aliquem statuimus, ne nostro incommodo ac detrimento dolere magis uideamur. Vixit etenim ille, quamdiu licuit, et uixit in summa omnium probitatis ac eruditionis opinione. Neque enim ulla tam barbara, tam remota gens, hodie Europae finibus includitur, cui non notissimum Aldi nomen ac celeberrimum fuit. Sed et plerosque non ignobiles uiros, uel hac sola causa, Venetias uenisse constat, ut unum hunc saluarent et uiserent, magnisque etiam muneribus donarent: et quos urbs tanta, tamque admirabilis, ad sui contemplationem non traxerat, unius uiri fama perduxit: adhortati pro uirili, ut instituto, restituendae latinae ac graecae linguae, proposito insisteret. 84) In cuius ille meditationem, cum, dies noctesque, totus incumberet, graui ac diuturno conflictatus morbo, quem ex nimio labore ac uigiliis contraxerat, suo fortasse tempore, nostro certe alienissimo, decessit. Neque enim ullum antea illi commodius hoc fuerat: cum, et longa illum experientia peritissimum fecisset, et multam iam parasset, quae, si certe perpulire atque absoluere potuisset, non multum certe ad rei summam desideraret. Ille igitur aliis alia, mihi, Coelii Lactantii Firmiani septem institutionum diuinarum libros, et reliqua disertissimi christianorum uiri monumenta, corrigenda tradiderat, ut ipse interim, aut aliis commodius emendandis, aut subleuandae ualitudini, uacare posset. Quo in opere quantum elaborarim, quantumue industriae ac studii adhibuerim, aliorum malumus esse iudicium. Musurus, anno sequentis MDXVI, Pausaniam graecum edidit, quem, e Museo Ioannis Calpurnii Brixiani, Gymnasii Patauini Professoris, acceptum, Aldus, etiam nunc superstes, excudere coeperat. Hunc igitur scriptorem, cum Ioanni Lascari, praefatione graeca tersissima, Musurus inscriberet, et artis typographicae, diuinum inuentum, primosque librorum graecorum impressorum editores, et Aldum de literis grae-

grae-



graecis immortaliter meritum, atque *Andream Asulanum*, generi defuncti uestigiis insistentem, his laudibus profecutus est: Τῶν δὲ τῶν τυπῶν καινουργίαν, δι' ἧς ἐξ ἑνὸς ἀντιγραφοῦ ὡσπερ ἐκ τίνος γονιμωτάτη σελήχης μυρία βιβλῶν παραφουάδες ἀπογεννῶνται, βιωφελὴ τ' ἔσται καὶ μεγάλων αἰτίαν ἀγαθῶν (τί γὰρ μείζον, τί δὲ τιμωφέστερον εὐεργετήμα τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων πορίσασθαι δύναται ἂν οἱ θεοὶ σοφίας τε καὶ γνῶσεως; ἢ ἵσμεν ὄντα τὰ βιβλία ταμίαια) παλαιοὶ μὲν αἰῶνες οὐκ ἐξίσχυσαν ἐπινοήσασθαι, χθές δὲ καὶ πρῶτον ὁ παρῶν βίος ἐξευρών, ἐπισομίζει τῆς βλασφημίας καὶ διασυρόντας τὰ μὴ Κρονίων ὀζόντα καὶ Διασιῶν. Τί γὰρ ἐτι Τριπτολέμος ἐκθειάζεται; τί δ' ὁ βοτρυόδωρος θεοποιεῖται; Καὶ γὰρ ἐκεῖνοι πορίσασθαι τροφῆς ὑπῆρξαν, ἣν οἱ ἀνθρώποι προσειμεθα, καθὼ σκηνεὶ συνεζυγῆμεν, μᾶλλον δ' ἐνεκλεισθῆμεν ρευσῶ καὶ συχνῆς ἀναξήσεως δεομένῳ τῶν δὲ γε τυπῶν ὁ Προμηθεὺς τὸ ἐμφυτὸν ταῖς διανοίαις ἡμῶν ἀναξήριπτον σέλας, ἠτοιμάσθη ὄντως ἀληθινήν ἀνθρώπῳ τροφήν, δι' ἧς ὡσπερ φυτὰ αἰθερία καὶ ζωπυρεῖσθαι πεφυκαμέναι καὶ τεθῆλεναί. Τῆς ἔν ἀνδρὸς εὐεργεσίας (εἴπερ ἀνδρῶν χεὶρ καλεῖται τὸν οὕτω θεῖον ἐσκεμμένον τέχνην) πρῶτοι μὲν οἱ Λατίνοι γευσάμενοι, ἐνεφορηθῆσαν ἀχρὶ κορῶν, πολλαπλασιασάντες τε τὰ συγγράμματα τῶν παρ' ἑαυτοῖς σοφίας καὶ δυνάμει τῆς λέγειν διαπρεψάντων, ἐντελεῖς τῶν πεπαιδευμένων ἐκαστῶ παρσκευασίαι βιβλιοθηκῶν. Ἐπειτα δὲ καὶ οἱ περὶ Χαλκονδύλην καὶ σὲ τῆς αὐτοχθόνας τῆς πρεσβυτέρας Ἑλλάδος, καὶ τοῖς Ὀγγυγίοις ἐκεῖνοις ἠρώσιν ὁμοσποροῦς, ἐπεχείρησαν ἡμεδαπῶν ἐντυπώσαι βιβλίων, πολλὰς τε Ὀμηρῶν καὶ Λακκιανῶν, Ἀπολλωνίων τε καὶ ἐπιγράμματογραφῶν Ποιητῶν δαψιλῶς ἐπιδόντες τοῖς Φιλελλησίν ἑκατοντάδας, ἐπῆνεθῆσαν διαφερόντως. Τῆς ἄλλοις





ο πολυτλας διαδεξαμενος τε και ζηλωτας, παση τε δυσχερεια  
 ομοσε χωρητας, συμπρακτοντων αυτω και συνεργων των Ενετιητι  
 Φιλοσοφων της Ελλαδικης μεσης τροφικων, μεγαλα τω οντι  
 κατωρθωσε, και ην τις επικειως και μη προς απεχθειαν εξεταζειν  
 εθειλη τα πραγματα, πολλων και καλων ευεργετηματων υπηρξε  
 τοις λογων ορεγομενοις. Των μεν ποιητικων (ως επος ειπειν) απαν-  
 των και ρητορικων ημιν μεταδωκε, τα δ' ευρισκομενα των τ' Αριστοτε-  
 λους και Πλατωνος, εις Φωσ αναγαγων. Αλλα δη τελευτη λιαν αω-  
 ρω και τοις λογοις επιζημιω μεσολαβηθεντος, συνεβαινε των γεαι-  
 κοτυπων την δαιδαλουργιαν χηρευειν. Ον μην αλλ' Αιδρεας Ασυλ-  
 λαιος, ο δαπανωντος οι περι τον Αλδον χηρηματων καθ' αυτους εν-  
 δεεις οντες ετυπωργον, παλαμ διεγνωκως τα φροντισηρια των ελλο-  
 γιμων ανδρων, παντοδαπων και δυσευρετων μεσα ποιησαι βιβλων,  
 εδεν της πειν υφηκε προθυμιας. Αλλα προς τοις αλλοις και τη πο-  
 λυμαθεσατη τε Παισανια συγγραφη, περιηγησιν μεν Ελλαδος  
 υπισχυμενη, και πασαις ταις Ατθιδος τε και Πελοποννησου μοιραις  
 επεξιση, μυριας τε κωμας και πολεις ευδαιμονας (ων ουδε τα ερει-  
 πια, νυν λειπεται) καταλεγσει, και πολλων μεν ιστοριων των ο παντι  
 προχειρων, αλλ' ων μεγαλη σπανις, γεμιστη, πολλα δ' οδου παρερ-  
 γον αξιομνημονευτα παρενειρουση, και τω συχνω των επεισοδιων απο-  
 φυγσει τον κορον, και ολωσ το κρατος και την δυναμιν και την  
 ευημεριαν των τοθ' Ελληνων ενδεικνυμενη τέλος επεθηκε συν Θεω.  
*Denique Syluester Aldobrandinus, Exul Florentinus, eruditio-*  
*ne profunda non minus, quam sobole florentissima, (Clemen-*  
*tis VIII. Romani Pontificis quippe Pater) uariisque Magistra-*  
*tibus gestis, illustrissimus, Paulum Manutium argumentis so-*  
*lidis permoturus, ne cogitationes unquam de relinquenda*  
 pro-

ΟΟΔΛΛ ΤΣΙΣΤ ΤΟΤΑΡΦΟΙΟ ΚΟΤΑΒΗΝΤΕ ΚΑΒΑΤΙΟΤΑΚΕ ΑΠΟΛΟΓΩ  
 ΟΠ Ο



prouincia paterna susciperet, haec ad ipsum, anno MDXXXVIII. mense Ianuario, sermone uernaculo, Pisauro Venetias perscripsit: *Quando ui fusse caduto in animo di seruir altri, non potete mouerui a simil pensiero, se non, o per speranze di maggiori bonori e dignità, o per cupidigia di maggior utile. Non uorrei che d' ingannasse, una certa falsa apparentia delle cose del mondo, et di una popolare opinione; ma da sauio consideraste, quanti Vescoui, quanti Cardinali, quanti Signori temporali son uiuuti in somma felicità, uiuente l' honorato Padre uostro, i quali per la maggior parte, se non tutti, sono sotterrati in un eterno oblio e dimenticanza de gli buomini; doue quella uirtuosa et honorata memoria di Messer Aldo uiue et uiuerà sempiternamente, negli animi de piu uirtuosi ingegni et piu sublimi, finche faranno in pregio de buone lettere, le quali in gran parte si riconnosseranno dall' industria e diligenza sua. - - Alla posterità uostra uorrei, che pensaste di prouedere, per quelle uie, che pensò l' honorato uostro Padre, seminando nelle tenere menti de uostri figliuoli i frutti raccolti nel campo de' uostri studii, facendoli letterati et costumati, auuezzandoli da primi anni a non conoscer altra ricchezza che le uirtù, et a disprezzar quelle facultà, che sopravanzano a gli honesti bisogni de gli buomini: reddendoui certo, che uoi gli lascerete piu ricchi così, che se uoi lasciaste loro insieme con un appetito poco regolato le casse piene, e tutto l' oro, di che son graui le piu ricche borse di cotesa città \* 85)*

Epitaphium 86) Aldo postliminio tale scripsit Henricus Stephanus:

Αλδος οδ', ος τεχνης Φαιος ην μεγα βιβλοδοτειρας,  
 Αλδος, ερεισμα τεχνης και μεγ' ονειαρ εων.  
 Παιδειης γαρ εις καματωντε και ολβη αφειδων,

HUTE

\* Lettere uolgarì Lib. III. Venet. ap. Ald. octauo MDLXVII. p. 136 . 140





ΗΥΤΕ ΤΗΛΟΥΓΕΤΗΝ ΤΗΝ Δ' ΑΤΙΤΑΛΛΕ ΠΑΙΪΝ  
 ΒΙΒΛΩΝ ΞΥ ΤΕΧΝΗ ΠΟΛΕΩΝ ΤΕΛΕΘΕΣΚΕ ΔΟΤΕΙΡΑ  
 ΑΛΔΟΣ Δ' ΑΥ ΤΕΧΝΗ ΗΥ ΒΙΟΔΩΡΟΣ ΕΗ.

Tam clarum quod nomen habent, totumque per orbem  
 Sunt uaga graiorum tot monimenta uirum,  
 Hoc debent *Aldo* Musarum quotquot Alumni,  
 Qui graphicis primus tradidit illa typis.  
 Utque illi decus hoc nullis labefiat ab annis,  
 Prouidet Aonii sedula turba chori.

Doctrinae est dum nunc in paucos prodiga tantae,  
 Quanta eius graphics est comitata typos

Extat inter alia doctorum typographorum Epitaphia, in *Hen-*  
*rici Stephani* Epistola, de statu typographiae suae, quam  
 V. C. *Michael Maittairius* recudi fecit, in sua *Stephanorum*  
 historia, quo uolumine p. 301. legitur: 87) sicuti su-  
 perioribus annis doctissimus *Krausius*, cum et haec,  
 et alia, mihi beneuole suppeditaret, me  
 certiolem fecit



SECTIO



SECTIO II  
DE  
ANDREAE CHEVILLERII  
DE ALDO IVDICIO  
AVCTORIS ET MAITTAIRII  
OBSERVATIONIBVS DECLARATO



SECTIO II  
DE  
ANDREAE CHEVILLERII  
DE ALDO IUDICIO  
AVCTORIS ET MATTHEI  
OBSERVATIONIBUS DECLARATO

SECTIO





issertatione iam ad finem perducta, fautorum  
Vratislaviensium atque Suidnicensium bene-  
ficio, peruenerunt ad manus meas, quae  
uiri doctissimi, D. *Andreas Cbeuillerus*, Bi-  
liothecarius Sorbonicus, in opere Gallico: *L'origine de l'  
imprimerie de Paris, et Michael Maittairius* A. M. in *annalibus  
Typographicis*, paucis abhinc mensibus, *Hagae comitum* excu-  
sis, de *Aldo* commemorarunt, quibus cum mea passim magis il-  
lustrari queant, *Cbeuillerii* Gallica, cum obseruationibus, et me-  
is, et e *Maittairii* lucubratione depromptis, hic subiicere placet

*Alde Manuce imprimoit chaque mois un bon Auteur. Au-  
roit uoulu racheter chaque faute d'un ecu d'or. On  
s'est plaint quelque fois de ses Editions.* Cheuill.  
p. 126. 127

*Alde Manuce* fut si curieux de la reputation, d'etre connu  
non seulement pour sçauant homme, comme il etoit dans  
la uerité, mais aussi pour excellent Imprimeur, et tres-correct  
dans ses impressions, que pour mieux s'aquiter de la Pro-  
fession, qu'il exercoit, et auoir le tems de bien examiner  
toutes choses, il n'imprimoit chaque semaine que deux  
feüilles: c'est *Ange Roccha*, Bibliothecaire du Vatican, qui  
l'ecrit: „*audiui ab iis, qui cum eo diu uersati sunt, duo ad sum-*





„*mum folia singula quaque hebdomada imprimi solere, cum  
 „bodie totidem fere, in singulo quoque praelo, quotidie cudan-  
 „tur.*” *Bibliothec. Vatican. p. 412.* Il est difficile d’ accor-  
 der ce fait, avec le grand nombre d’ impressions, qui sont  
 sorties des presses de cet illustre Imprimeur, et particuliere-  
 ment avec ce qu’ il dit dans la preface a l’ *Euripide Grec*, de  
 MDIII. in 8uo, ou il assure *Demetrius Cbalcondylas*, a qui il  
 dedie ce Liure, (α) qu’ il imprimoit chaque mois un bon Au-  
 teur, dont il donnoit plus de mille exemplaires, „*quandoqui-  
 „dem mille et amplius boni alicuius Auctoris volumina, singulo  
 „quoque mense, emittimus.*” Ce qui donna suiet a *Erasme*, d’  
- cum interpretatione latina. *Ammonius* de differentia dictionum per literarum ordinem. Vetus instructio et denominationes Praefectorum militum. Index oppido quam copiosus, docens latinas dictiones fere omnes graece dicere, et multos etiam multis modis. Post *Aldi* praefationem ad studiosos, adduntur in *Aldi* laudem tetrasticha graeca *Scipionis Carteromachi* et *Marci Musuri* Venetiis, in aedibus *Aldi Manutii Romani*, Decembri mense MIIID. fol. Huius Lexici praefationem, et alia, dissertationem illam de *Aldo* spectantia, mihi beneuole descripsit, cum Lipsiae literis melioribus anno MDCCXII. operam nauaret, Vir clarissimus, *Ioannes Lauterbachius*, nunc temporis Scholae Vschouienfis, siue Fraustadiensis, in Polonia maiore, Rector. Fraustadium enim, urbs haud incelebris in Silesiae confiniis sita, Polonis Vschoua uocatur.
- XII. *Hygini* poeticon astronomicum *Fabric.* B. L. p. 307  
A. C. MCCCCLXXXVIII
- XIII. *Aristotelis* uolumen ultimum, anno praecedente descriptum
- XIIII. \* *Angeli Politiani* opera omnia, duo Volumina, fol. mense Iulio, in aedibus *Aldi* MIIID ad *Marinum Sannutum*, Patritium Venetum. Volumine secundo extat *Herodianus*, a *Politiano* latine redditus. *Maittair.* p. 249. et 356
- XV. \* *Aristophanis* comoediae nouem, Scholiis illustratae, *Danieli Clario*, Parmensi, Gymnasii Ragufani Rectori, nuncupatae. Decimam praetermisit, quia uix dimidiata haberi potuit. Prodiit Volumen fol. cum *Marci Musuri* praefatione Graeca, et *Scipionis Carteromachi* Epigrammate gemino, idibus Quintilis, MIIID Venetiis, apud *Aldum*. *Maittair.* p. 248. 249. 354
- XVI.





XVI. *Suidas* graece, allegat *Fabricius* B. G. L. IV. 523. et in Bibliotheca Claramontana, Lutetiae Parisiorum, adseruari dicit. Admodum autem uereor, ne sit editio Mediolanensis, anno MCCCCLXXXVIII. mense Nouembr. impensa, et dexteritate *Demetrii Chalcondylae*, *Ioannis Bissoli*, *Benedicti Mangii*, Carpensium, publicata. uid. *Maittair.* p. 256. et 362

XVII. *Varro* de Lingua latina, a *Pomponio Laeto* et *Rbolandello* emendatus 4<sup>to</sup>

A. C. MCCCCLXXXVIII

XVIII. \* *Epistolarum graecarum*, mille et septuaginta trium, uolumen, quorum Auctores sunt quadraginta. 4<sup>to</sup> ad *Antonium Vrceum Codrum*. Parte prima habentur *Epistolae Basilii Magni*, *Libanii Rhetoris*, *Chionis*, *Platonici*, *Aeschinis* et *Isocratis*, *Oratorum*, *Phalaridis*, *Tyranni Bruti Romani*, *Appollonii Tyanensis* et *Iuliani Apostatae*, constat foliis 136. Parte altera dantur *Epistolae Synesii*, *Demosthenis*, *Platonis*, *Aristotelis*, *Philippi*, *Alexandri*, *Hippocratis*, *Democriti*, *Heracliti*, *Diogenis*, *Cratetis*, *Anacharsidis*, *Euripidis*, *Theanonis*, *Melissae*, *Myae*, *Alciphron*. *Philostrati*. *Theophylacti*, *Aeliani*, *Aeneae*, *Procopii*, *Dionysii*, *Lysidis*, *Amasidis*, *Musonii*. Continet folia 266. Ad Calcem extat *Epistola Graeca Marci Musuri*, Venetiis, apud *Aldum*, mense Martio M.D. cum priuilegio ut in caeteris. *Maittair.* p. 250. 251

XVIII. \* *Iulii Firmici* *Astronomicorum* libri octo, integri et emendati a fol. 1 -- 187

*Marci Manilii* *Astronomicon*, ad *Caesarem Augustum*, libri quinque a fol. 188 -- 246

*Arati* *Phaenomena*, *Germanico Caesare* interprete, cum commentariis et imaginibus. Praemittitur

*Arati*





*Arati* uita ab *Aldo* latine reddita a fol. 274 -- 208  
*Arati* eiusdem Phaenomena, fragmentum, *Marco T. C.*  
 interprete a fol. 280 -- 286  
*Arati* eiusdem Phaenomena, *Ruffo Festo Auienio* Para-  
 phraſte a fol. 288 -- 314  
*Arati* eiusdem Phaenomena, graece, cum commentariis  
 copioſiſſimis *Theonis* a fol. 315 -- 371  
*Procli Diadochi* Sphaera, graece, a fol. 371 -- 374  
*Procli Diadochi* ſphaera, Aſtronomiam diſcere incipien-  
 tibus utiliſſima, *Thoma Linacro*, Britanno, Inter-  
 prete, ad *Arcturum*, Cornubiae Valliaeque illuſtriſſi-  
 mum Principem, a fol. 375 - 381 ſiue exitum. Haec  
 omnia uno uolumine in folio uulgauit *Aldus*. *Iulius*  
*Firmicus* abſolutus eſt Venetiis, in aedibus *Aldi*, menſe  
 Iunio MD. reliqua, menſe Octobri eiusdem anni. *Tho-*  
*mae Linacri* interpretationem latinam ſphaerae *Pro-*  
*cli*, dedicauit *Aldus Alberto Pio*, Carporum Principi,  
 prid. idus Octobr. MD. cui ſubiicit Epistolam, lectu di-  
 gniffimam, *Guilielmi Crocini*, Britanni, Londino recens  
 ad ſe datam, in qua *Crocinius*, poſt *Aldi* merita, prolixè  
 celebrata: Noſter item *Linacrus* nuntiauit mihi, te rem  
 multo magis admirandam moliri, iamque ſtatutum  
 habere, ut libros ſacros, ueteris quidem teſtamenti tri-  
 fariam, latine graece, et hebraice, noui autem bifari-  
 am, graece et latine imprimas, opus plane arduum,  
 et Chriſtiano Viro digniſſimum. In quo, ſi modo  
 perficere licebit, non modo caeteros omnes, qui un-  
 quam in hoc genere floruerunt, ſed te ipſum longo  
 interuallo ſuperabis. Age igitur, mi *Alde*, auſpicare  
 tandem opus, quod cogitas, et quod iam diu parturis,  
 aliquando parias. Non enim adduci poſſum, ut cre-  
 dam, poſſe opus, tam diuinum, ſecundis carere ſucceſ-  
 ſibus.






sibus. *Contra Iulii Firmici* libros *Aldus* inscripsit *Guido Pberetrio*, Urbini Duci, sexto Calendas Nouembr. MID. quam praefationem ita inchoauit: Operae pretium mihi uidetur, *Guide Pberetri*, Dux Ill. quaecunque uolumina formis excudenda curamus, praefatione aliqua, ueluti clypeo quodam, munita, exeant in manus hominum, et quo fit illis plus auctoritatis, uiris, uel doctrina, uel dignitate, uel utroque, per insignibus, dedificentur. Quod minime arroganter a me fieri, existimetur uelim. Quandoquidem, alienos libros, nostra cura impressos, illi uel illi dedicare, idcirco mihi licere, arbitror, quod eos maximo quaesitos studio, tanquam ab inferis, ad superos reuocemus. conf. *Maittair.* p. 252 - 255

XX. *Dioscorides* graece et *Nicandri* Theriaca atque *Alexipharmaca*, graece, cum Scholiis graecis, fol. Venetiis, apud *Aldum*, mense Iulio, MID. nuncupauit *Hieronymo Donato*, Patritio Veneto, quem sic alloquitur: Nescio quid sit, *Donate*, Vir integerrime, addo etiam, doctissime, quod ex eo tempore, quo, non paruo meo incommodo et labore, renascentibus in Italia bonis literis, quocunque potui modo, coepi opera afferre, omnia mihi aduersa, nunc hominum perfidia, nunc temporum infelicitate, contigerint. Nisi id Graecorum infortunio adscribendum est. Quod aerumnosi futuri sint, quicumque ex nostris Graecitati opitulantur: quod, etsi quidam ioco solent dicere, multis tamen, id ita esse, probari exemplis potest. Quod uero, maiore in dies animo, perstiterim in proposito, et nunc maxime perstem, illud saepe commemorans: Tu ne cede malis, sed contra audentior ito, mecum ipse demiror, atque eo magis, cum

M

ex-





excrucier, ac pene opprimar laboribus, et iuuet opprimi, iuuet esse miserum. Video meliora proboque, deteriora sequor. Nam tempus, rem quam carissimam, perdens, mihi obsum, ut aliis profim. Sed feram aequo animo mea damna, dum profim; nec, si uixero, ab inceptis unquam desistam, donec, quod semel statutum mihi est, perfecero. Et quanquam maiora uiribus aggressi simus, cum domi nostrae, ea ad Latinam, graecamque et hebraicam linguam, formis publicandam, summo studio, assiduoque labore cudantur, quae admirationi omnibus futura speremus, tamen (faueat Deus) bene ac pulchre omnia perficientur. Interea *Dioscoridem* ac *Nicandrum* damus, rati, gratissimos atque utilissimos fore studiosis omnibus, atque iis maxime, qui sunt in Pliniana lectione uersati. Scis enim plurima esse in *Dioscoride*, quae mutuatus uidetur *Plinius*, quod utrumque saepe legeris, alterumque cum altero accurate contuleris. Hunc igitur librum, quo plus auctoritatis foret hisce laboribus nostris, in tuo nomine, aere nostro excusum, publicare uoluimus, quod tibi, humanissimo omnium, non ingratum fore existimabamus. Quare uelim hunc etiam benigna fronte suscipias, meque, de hoc quoque labore, ut facis, ames - - *Maittair* p. 251

XXI. \* *Nicolai Perotti* Cornu copiae, in quo recudendo, quid *Aldus* praestiterit, haec eius Epigraphe docet: Cornu copiae, siue linguae latinae commentarii, ubi quamplurima loca, quae in aliis, ante impressis, incorrecta leguntur, emendata sunt. Multa praeterea, quae in iis etiam, quos ex archetypo exscriptos habuimus, mendosa erant, emaculauimus. Graecum, quod ita inuersum ac deprauatum erat, ut ne legi quidem posset,





set, in suum locum et candorem restitutum est. Index copiosissimus, et nouo ordine, quo facillime, quodcunque quaeritur uocabulum, inueniri potest. Notatae enim sunt totius operis singulae semipaginae, ac singuli semipaginarum omnium uersus, arithmeticis numeris, (NB. paginas nostras hic *Aldus* semipaginas tantum, sicuti lineas singularum paginarum uersus nominat) et, quod operae pretium est, margine expedito et uacuo, ut possit, si quid libuerit, in margine, ut fieri a doctis assolet, annotari

Eiusdem *Sypontini* libellus, quo *Plinii* Epistola ad *Tantum Vespasianum* corrigitur, cum graeco, quod in aliis non habetur. *Cornelii Vitellii*, in eum ipsum libellum *Sypontini*, annotationes

Hoc inueniendorum uocabulorum ordine, a nobis nuper inuento, non licet cuiquam, in Dominio Ill. S. V. hos linguae latinae commentarios, impune imprimere. Totum opus, sine indice, erratorum folio, et *Ludouici Odaxii* atque *Pyrrhi Perotti* praefationibus, habet paginas 642. Venetiis, in aedibus *Aldi*, mense Iulio MD. fol. cum repetita admonitione, ne quis impune, in Dominio Veneto, recudere queat.

Sed anno statim sequenti MD, noua prodiit editio, Lutetiae Parisiorum, per *Vdalricum Gering.* et *Bertbold Rembolt*, Socios, ultimo Aprilis fol. quam adcurate recensuit *Maittairius* p. 367. cui editio illa *Aldina* incognita prorsus fuit. Parisiensem MD. *Ioannes Pompeius Cornianus*, *Brixianus*, nouis quibusdam ornamentis auctam, *Sebastiano Badoario*, Patritio Veneto, cuius nepotes erudiendos acceperat, dedicauit. Priuilegia sane cum Veneta, tum summorum Pontificum, *Aldo* non ita multum profuisse, uidentur. Vnde tot que-





relae, quibus eius praefationes passim refertae. Ne quidem Itali, poenis priuilegiolorum indicatis, deterrebantur, tantum abest, ut exteri, a libris eius recudendis, et characteribus imitandis, abstinuerint. Imprimebat *Aldus* MDXIIII. *Ciceronis* Opera, forma octaua, typisque minoribus a se inuentis. Neque tamen eo secius, *M. Tullii Ciceronis* Quaestionum Tusculanarum libri quinque, eadem forma typisque iisdem *Aldinis*, anno MDXIIII. mense Octobri, Florentiae, sumtibus *Philippi Giuntae Florentini* publice comparuerunt: quod uolumen est in manibus meis.

XXII. *Hypnerotomachia Poliphili*, ubi humana omnia, non nisi somnium esse, docet, atque obiter plurima, scitu sane quam digna, commemorat. Cautum est, ne quis in Dominio Hl. S. V. impune hunc librum queat imprimere. *Leonardi Crassi Veronensis* (ut ex eius Epistola ad *Guidonem*, Urbini Ducem, liquet) sumtibus excusus est, elegantissimo Romano characterē, cum multis, quae ligneis tabulis incisae sunt, figuris. Venetiis, Mense Decembri MD. in aedibus *Aldi Manutii* accuratissime. *Maittair* p. 254 -- 255

A. C. MD

XXIII. *Lucretius* apud *Aldum* MD, ex *Hieronimi Auantii* editione, recusus, 4to *Fabric. B. L.* p. 44. prima uice *Hieronimus Auancius Veronensis*, *Lucretium*, MCCCCLXXXVI. fol. Veronae ediderat, typis *Pauli Fridenperger*. *Maittair*. p. 199

A. C. MDI


XXIII. \* *Philostrati* libri octo, de uita *Apollonii Tyanei*, et *Eusebii* liber contra *Hieroclem*, graece, fol. Venetiis, apud *Aldum*, mense Martio MDI. folia sunt 64. publice uero



uero prostare coeperunt, nonnisi anno MDIII. una cum interpretatione latina

XXV. *Petrarca* hetrusce, in membrana, ex recensione *Petri Bembi*, hoc titulo: *Le Cose Volgari di M. Francesco Petrarca* ed in fine si legge: impresso in *Vinogia*, nelle case d'Aldo Romano, nell' anno MDI. nel mese di Luglio, e tolto, con somma diligenza, dallo scritto di mano medesima del poeta, hauuto da *M. Pietro Bembo*, nobile Venetiano, e da Lui doue bisogna e stato riuedito e racconosciuto. *Crescimbeni* dell' Istoria della Volgar Poesia lib. iv. p. 309. *Aldus* in editionibus suis hetruscis, adiuuante *Bembo*, primus orthographiam Italicae linguae ad eam elegantiam reduxit, qua nunc gaudet. Nam antea multae uoces uarie minusque adcurate scribebantur et signa distinctionis, praeter punctum atque duo puncta, promiscue adhibita, uix erant in usu, quam in rem ita *Crescimbenius*: Nel Secolo XVI. coll' occasione, che moltissimi ualent uomini diedero opera nell' antecedente allo studio e alla diligente offeruazione della lingua latina, siccome nelle scritture, che faceuano in quella lingua, eglino rimisero in pie la punteggiatura e l' uso degli accenti de' latini; cosi quei che che s'auuifarono di rimettere in essere la uolgar lingua e della latina erano bene intesi, si presero cura d'ordinare anche l' ortografia Italiana. Il *Bembo*, sopra tutti, tra i litterati, e *Aldo Manucci* il Vecchio, tra gli stampatori, tanto fecero intorno a questa cosa, che la ridussero a perfezione. Vogliono alcuni, che il primo inuentasse il puntocoma, e che il secondo mettesse in usu la virgola, o coma, che uogliam chiamarlo; e il *Bembo* poi di essa si seruisse per formar





l'apostrofo - Commentari intorno all' Istoria della uolgar Poesia Vol. I. Lib. VI. p. 377

XXVI. \* *Iuuenalis et Persius* suo, Venetiis, in aedibus *Aldi* et *Andreae*, Soceri, mense Augusto, MDI. folia 76. nuncupavit *Aldus Scipioni Carteromacho*. Primo folio conspicitur Anchora cum Delphino, et addita uoce:  
ALDVS

XXVII. \* *Martialis* suo mens. Decembri, sine praefatione, item sine Ancora atque Delphino

XXVIII. \* *Georgii Vallae, Placentini*, Viri clarissimi, de expetendis et fugiendis rebus, opus, in quo haec continentur: de Arithmet libri III. Musica V. Geometria VI. Astrologia IV. Physiologia IV. Medicina VII. Problematum I. de Grammatica IV. Dialect. III. Poetica I. Rhetorica II. Morali Philosophia I. Oeconomia III. Politicorum I. de corporis commodis et incommodis III. de rebus externis I. ac ultimus, ubi de gloria, amplitudine et ceteris huiusmodi. Haec summam; sed insunt et alia plurima, quae legendo licet cognoscere. II. Vol. fol. charta maiore et densa, item caractere puro et eleganti. Venetiis, in aedibus *Aldi*, impensa ac studio *Ioann. Petri Vallae*, Filii pientissimi, mense Decembri, MDI. cautum est, ne quis, decennio, in Dominio Ill S. V. librum hunc impune excudat formis, alibiue excusum, uendat. Ancoram atque Delphinum non habet. Praefatus est *Ioann. Petr. Valla* ad illustrem Viglebatium Comitem, Principemque excellentissimum, *Ioann. Iacob Triuultium*, cui salutem dicit aeternam, simulque commemorat, Patrem, Auctorem operis ipsum, sibi dicaturum fuisse, nisi mors ipsum praeuenisset

XXVIII. \* *Virgilius* suo primum volumen, typis minoribus, quos *Aldinos*, siue currentes, uocant, impressum  
XXX.





XXX. *Horatius* suo *Fabr.* B. L. 239

XXXI. *Aldi* grammatica latina 4to iam antea excusa

XXXII. *Iulius Firmicus*, *Manilius*, *Aratus*, *Proclus*, editio altera fol. *Fabric.* B. L. p. 568


A. C. MDII

XXXIII. \* *Stephanus* de urbibus, graece, fol. sine Ancora et Delphino. Praefatus est *Aldus* ad *Ioannem Taberium*, *Brixiensem*, his inter alia verbis: Eum librum tibi dicamus, *Taberi suauiss.* munerique mittimus, ut, cum sanctissimis moribus, optimisque literis, in ista urbe dignissima opulentissimaque, *Brixia*, iuuentutem instituas, cognoscas, te propterea a nobis amari plurimum; sitque hic liber apud te *μνημοσυνον*, amoris summi erga te mei, perpetuum. Expecta breui *Iulium Pollucem* et *Thucydidem*, *μετα των παραλειπομενων Ξενοφωντος*, et alios quosdam. -- Praefatio data Ven. xv. Cal. April. MDII. ad calcem autem, haec leguntur: Venetiis, apud *Aldum Romanum*, mense Ianuario MDII. foliis absolutur 80

XXXIII. \* *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, suo sine ancora atque Delphino. Sub exitum, Venetiis in aedibus *Aldi*, mense Ianuario MDII. *Catullus* habet fol. 44. Ad calcem *Hieronymus Auancius Veronensis* castigationes suas, in *Catullum* additas, *Marino Sannuto*, Veronae Quaestori, Litterarum Litteratorumque Patrono, inscripsit. *Tibullus* folia 36. *Propertius* 70. *Aldus* Volumen eidem *Marino Sannuto* nuncupans, inquit: *Valerium Catullum Veronensem*, his diebus cura nostra impressum, eo libentius ad te legendum mittimus, quoniam in urbe ista, doctorum virorum parente, et altrice ingeniorum, Verona, unde oriundus *Catullus*, Quaesturam agis -- delectabit te praeterea, quod longe alius, quam

quam





quam qui erat, uidebitur, ob multas emendationes et uersus, tum additos, tum in pristinum locum restitutos, in qua re adiutus sum maxime ab *Hieronymo Auantio Veronensi*, homine doctissimo, et summo ingenio, tibi que deditissimo. Quare uel eo gratiorem tibi *Catullum* putamus futurum, quoniam *Auantius tuus Veronensis*, uel noster potius, illi corrigendo, et in pristinum candorem restituendo, et olim per se diu et multo labore, et una mecum inter imprimendum, accuratiss. incubuimus. Quae tamen asterisco uidebis notata, ea in fine operis, aliter atque aliter legi, excudenda curauimus ut possit studiosus quisque, quod multis uisum fuerit, eligere pro arbitrio suo. Idem et in *Tibullo* et *Propertio* fecimus, quos, ad tria millia uoluminum et plus eo, hac minima forma excusos, in manus tuas et caeterorum, commode assidueque, una cum *Catullo*, et ire, et redire, speramus


XXXV. \* *Iulii Pollucis* Onomasticum graecum fol. ad *Eliam Capreolum Brixianum* praefatio, data 3. Id. April MDII. Ad calcem autem, Volumen mense Ianuario absolutum fuisse, dicitur

XXXVI. \* *Pbilostrati* de uita *Apollonii Tyanei* libri octo, latine redditi ab *Alemanno Rinuccino Florentino*. fol. accedit *Eusebius* contra *Hieroclem*, qui *Tyaneum* CHRISTO conferre conatus fuerat, interprete *Zenobio Acciolo Florentino*, Ordinis Praedicatorum. Venetiis, in aedibus *Aldi*, mense Februario MDII. folia 74. Publice uero proflare demum coepit MDIII mense Maio, quo *Aldi* praefatio ad *Zenobium Acciolum Florentinum* data

XXXVII. *Lucanus* suo ad *M. Ant. Maurocenum*, Patritium Venetum, mense Aprili MDII. sine anchora atque Delphino. *Nicol. Anton. Bibl. Hisp. Vet. p. 48. 49*

XXXVIII.





XXXVIII. \* *Thucydides* graece fol. Venet. in domo *Aldi*,  
mense Maio MDII. ad *Danielem Rainerum*, Patritium  
Venetum; sine Anchora et Delphino folia 123

XXXVIII. \* *Sopboclis* tragoediae septem, cum commenta-  
riis graecis suo ad *Ioannem Lascarem*, his verbis: se-  
dentibus nobis, his brumae frigoribus, in hemicyclo ad  
ignem cum Neacademicis nostris, forteque esset una  
*Marcus Musurus* noster, post multa variaque vicissim  
(ut solet) dicta inter nos, in tui incidimus mentionem.  
Tum *Marcus*, ut est studiosus tui - - Venetiis, in *Aldi*  
*Romani* Academia, mense Augusto MDII

XXXX. \* *Herodotus* ad *Ioannem Calpurnium Brixianum*,  
Venetiis, in domo *Aldi*, mense Septembri MDII. Habet  
Ancoram et Delphinum. Folia sunt 140. Non solum  
autem *Herodotus* et *Thucydides*, sed alii quoque scri-  
ptores veteres, apud *Aldum* euulgati, latiores acceperunt  
margines, eo consilio, quo pro lubitu possent adnotare  
uiri docti, quae inter legendum, siue emendanda, siue  
magis illustranda, occurrerent

XXXI. \* *Valerius Maximus* suo ad *Ioannem Cuspinianum*  
*Germanum*, qui suppeditarat *Aldo* 24. exempla *Va-*  
*lerii*, ante non impressa. Venetiis, in aedib. *Aldi Ro-*  
*mani*, Octobri mense MDII. Cautum est, ne quis, ab-  
hinc decennium, nouem hosce *Valerii* libros, impune  
typis queat excudere, in Dominio Ill. S. V. Publice  
uero comparuit nonnisi anno MDIII. mense Aprili, quo  
praefatio data. Ad calcem uoluminis adest Ancora  
cum Delphino. Folia complectitur 211

XXXII. \* *Ouidius* III. Voluminibus suo  
Primum habet metamorphoseon libros quindecim,  
cum praefatione ad *Marinum Sannutum*, Patrit. Vener.  
Priuilegio Senatus Veneti, et Indice graeco latino di-  
ctionum

N

ctionum





tionum graecarum, in Transmutationum libris occurrentium, paginis absoluitur 406. Ad calcem: Venetiis, in aedibus *Aldi*, mense Octobri MDII

Secundum *Auli Sabini* Epistolas tres, *Ouidii* Elegiarum libros tres, de arte amandi libros tres, de remedio amoris libros duos, in *Ibin* librum unum, Epistolam ad *Liuiam*, de morte *Drusi*. De Nuce. De medicamine faciei. Paginae sunt 384. Venetiis, in aedibus *Aldi Romani*, mense Decembri MDII

Tertium *Fastorum* libros vi. de *Tristibus* v. de *Ponto* iiii. paginis 406. Libri *Fastorum* absoluti sunt Venetiis, in *Aldi Romani* Academia, mense Ianuario MDII. nisi mendum fuerit. Libri *Tristium* et de *Ponto*, Venetiis, in Academia *Aldi*, mense Februar. MDIII. subiicitur *Distichon*:

Cauimus; at, si quis nobis non credet auarus,  
incidet in casses praeda petita meos.

Tribus istis uoluminibus Ancora cum Delphino habetur; quod insigne, ab eo tempore, quantum sciam, in omnibus *Aldinis* editionibus comparet. Ceterum *Marino Sannuto*, uolumen quoque secundum et tertium, *Aldus* inscripsit

XXXIII. \* *Statii* sylvarum libri quinque, *Thebaidos* libri duodecim, et *Achilleidos* duo, ad *Ioannem Pontanum*. Accedit *Aldi* orthographia, et flexus dictionum graecarum omnium, apud *Statium* occurrentium, ad *Marcum Musurum* 8uo paginae 592. Venetiis, in Academia *Aldi Romani*, mense Nouembri MDII


XXXIII. *Sedulii Iuueni* et *Aratoris* carmina, *Probae Falconiae* centones, et alia multa 4to

XXXV. *Sulpicius Seuerus*

XXXVI. *Severi Samonici* carmen de medicamentis. Ita in catalogo quodam inueni. *Gesnerus* autem et *Fabricius*

*cuius*





*cuius*, non nisi editionem *Asulanorum*, anno MDXXVIII. cum *Aurelii Cornelii Celsi* medicinae libris octo, ex emendatione *Baptistae Egnatii* datam, allegant

A. C. MDIII

XXXVII. \* *Ovidii* Volumen tertium, anno praecedenti recensitum

XXXVIII. \* *Euripidis* Tragoediae octodecim, graece, suo Venetiis, apud *Aldum*, mense Februario MDIII. Dedicavit *Aldus Demetrio Chalcondylae*; qua praefatione, deflet iacturam antiquorum librorum, sub finem addens: Quandoquidem, mille et amplius boni alicuius Autoris Volumina, singulo quoque mense, emitimus ex Academia nostra. Et nunc 10. et 8. *Euripidis* Tragoedias tibi, qui es graecorum omnium aetatis nostrae facile Princeps, nuncupatas damus, non multo post, in septem primas daturi et commentarios. Totum opus duobus voluminibus constat, quorum primum X. Tragoedias, alterum octo continet

XXXVIII. \* *Luciani* omnia, graece, Icones *Philostrati* 66. eiusdem heroica. Icones iunioris *Philostrati* 22. enarrationes *Callistrati* in statuas 14. *Philostrati*, iunioris, vitae Sophistarum 58. omnia graece fol. mense Iunio MDIII. Venet. ap. *Aldum* paginae 571

L. \* *Xenophontis* opera, graece

LI. \* *Georgii Gemisti*, qui et *Pletbo* dicitur, ex *Diodori* et *Plutarchi* historiis, de iis, quae post pugnam ad Mantineam gesta sunt, per capita tractatio, *Herodiani* a *Marci* Principatu historiarum libri octo, Enarratiunculae antiquae et perbreues in totum *Thucydidem*, sine quibus auctor est intellectu quam difficillimus. Venetiis, in *Aldi* Neacademia, mense Octobri MDIII. fol. Praefatio haec est: *Franciscus Asulanus* Lectori S. Et si






omnia, quae ab *Aldo*, Sororio nostro, facta sunt, et  
 optimo consilio, et utilitatis omnium causa facta, ar-  
 bitramur, neque tu, ut opinor, dissenties, si recte  
 rem aestimare uolueris: quae tamen ille *Xenophontis*  
 opera, tum παραλειπομενα, tum ελληνικα, a graecis  
 appellata, in hunc locum incluserat, nos tanquam  
 auulsum membrum, cum totum *Xenophontem* emitte-  
 remus, quasi suo corpori coniungendum, putauimus.  
 Hinc assequeris, ut ne idem bis emas, et habeas ta-  
 men ita omnia, ut nihil praeterea requiras. Vale

LII.\* *Xenophontis παραλειπομενα απερ και ελληνικα εκαλεσε.*  
*Georgius Gemistus Pletbo. Herodiani Libri VIII. Enar-*  
*ratiunculae breues in Thucydidem, graece fol. Aldus*  
*ipse, graece, praefatus est, ad Guidum Pberetrium,*  
*Urbini Ducem, Venetiis, die 14. Nouembris MDIII.*  
 Idem uolumen est cum praecedenti, nisi quod hic simul  
 habeantur *Xenophontis* Paralipomena, quae *Franci-*  
*scus Asulanus* a multis exemplis separauit, in Emto-  
 rum gratiam, ut quilibet pro arbitratu suo cum *Thu-*  
*cydidi*, cuius historiam de bello Peloponnesiaco sup-  
 plent illa Paralipomena, tum *Xenophontis* operibus  
 reliquis, apud *Aldum* excusis, addere posset. Com-  
 pendii causa dubio procul illud omne factum fuit.  
*Eruditissimus Fabricius* Lib. III. p. 74. B. G. dicit, hos  
 libros *Xenophontis*, sub titulo Paralipomenon, *Thucy-*  
*didi* graece subiectos ab *Aldo* fuisse MDII. fol. quae so-  
 brie sunt accipienda. Nam *Xenophontis* Paralipomena  
 promiserat quidem *Aldus*, una cum *Thucydide*, pub-  
 licanda, rationibus autem certis adductus, editionem  
 nonnihil distulit, sicut in praefatione *Thucydidis* ipse  
 testatur. Vnde Paralipomena illa, cum reliquis, anno  
 demum MDIII. praelis liberata fuerunt





- LIII. *Ammonii* Commentaria in X. praedicamenta, et librum *Aristotelis* de Interpretatione. *Magentini*, Episcopi Mitylen. in eundem, et *Pfelli* Paraphrasis. Ad *Albertum Pium*, Carporum Principem, *Aldi* praefatio data 16. Cal. Nouembr. MDIII.
- LIII. \* Anthologia graeca, siue Florilegium diuersorum Epigrammatum, septem Libri, 800, Venetiis, in aedibus *Aldi*, mense Nouembri MDIII. Ad calcem extat epistolum graecum *Scipionis Carteromachi* ad *Aldum*. Folia totum Volumen habet 290.
- LV. *Bessarionis*, Cardinalis Niceni, et Patriarchae Constantinopolitani, in Calumniatorem *Platonis* libri quatuor: opus uarium ac doctissimum, in quo praeclarissima quaeque, et digna lectu, quae a *Platone* scripta sunt ad homines, tam moribus, quam disciplinis, instruendos, breuiter clareque et placido stylo, narrantur, eiusdem correctio Librorum *Platonis* de Legibus, *Georgio Trapezuntio* interprete, ubi passim uerba graeca ipsius *Platonis* recitantur, et emendata, et cum suis accentibus. Nam in libris, Romae olim impressis, defunt. Deinde a *Bessarione*, saepe argumento praemisso, in latinum uertuntur. Postremo *Trapezuntii* tralatio subiungitur, quod est perquam utile iis, qui graecis literis instituuntur, atque ex graecis bonis, bona latina facere uolunt; eiusdem de natura et arte, aduersus eundem *Trapezuntium*, tractatus, admodum quam acutus ac doctus. Eiusdem metaphysicorum *Aristotelis* XIII. Librorum tralatio, quibus accedit *Theophrasti* libellus metaphysicus, latine redditus, fol. *Aldus* uolumen dedicauit *Accursio Mainero Auenionensi*, Iureconsulto, Gallorum Regis apud Venetos oratori






A. C. MDIII  
 LVI. Theſaurus Cornucopiae et Horti *Adonidis*, *Varini Phauorini Camertis*, altera editio, fol.

LVII. \* *Aristotelis* de natura Animalium  
 Libri VIII. Fol. 1 - 56  
 de partibus Animalium Libri IV. 56 - 79  
 de generatione Animalium Libri V. 79 - 108  
*Theopbraſti* de historia Plantar. Libri  
 VIII. et decimi principium duntaxat 109 - 156  
 Eiusdem de cauſis Plantarum Libri VI 157 - 204  
*Aristotelis* Problemata 205 - 256  
*Alexandri Aphrodiſienſis* Problemata  
 duobus libris - - 256 - 273  
 Omnia latine, uno uolumine, fol.


Hos libros, a *Theodoro Gaza* tralatos, inquit *Aldus* in epigraphe, adeo utiles futuros exiſtimamus iis, qui graecas literas diſcere concupiſcunt, atque cum graecis latina coniungere, ut nihil magis. Sed eos, ne pluribus laudem, facit *Hermolaus Barbarus*, qui ſic de *Theodoro* ad *Sixtum*, Pontificem, in *Themiſtii* Paraphraſin ſcribit: Magnam incomparabilemque iacturam non pridem fecimus, Pontifex Max. in *Theodoro Gaza*, qui, Vir graecus, Latinos omnes, in hoc munere ſcribendi interpretandique, ſuperauit. Is ſi diutius uiſſet, linguam latinam, hac quoque in parte, locupletaret. Quod et fecit his libris abſolutiſſimis *Aristotelis* de Animalibus, et *Theopbraſti* de ſtirpibus. Hic unus mihi certare cum uetuſtate ipſa uiſus eſt. Hunc mihi, quem colerem, quem imitarer, propoſui. Ab huius ſcriptis adiutum me et fateor et praedico. Hunc ego, non magnopere incenrioſius, legi, quam *M. Tullium*, *Plini-*






- um, Columellam, Varronem, Senecam, Apuleium* et caeteros, quos in hoc genere commentandi diligenter euoluere necessarium est. *Aldus* inscripsit *Matthaeo Longio*, Caesareae Maiestatis, a Secretis ac Praeposito Augustensi, Venetiis, Sexto Calend. Aprilis MDIII
- LVIH.** \* *Demosthenis* orationes duae et sexaginta. *Libanii*, Sophistae, in eas ipsas orationes argumenta. Vita *Demosthenis* per *Libanium* et *Plutarchum*, omnia graece, in folio minore, ad *Danielem Clarium*, Parmensem, Gymnasii Ragusani Rectorem. Pars prima paginis 310. altera 292. absoluitur. In fine: Venetiis, in aedibus *Aldi*, Mense Nouembr. MDIII. *Scipio Carteromachus*, in Commendationem *Demosthenis*, praefationem graecam praemittit
- LVIH.** \* *Homeri* omnia, graece, cum uita eius ex *Plutarcho*, *Herodoto*, et *Dione*, 8uo, Exempla quaedam excusa in membrana. Nuncupauit *Aldus Hieronymo Aleandro*, Motensi
- LX.** *Vlpiani* commentaria in 18. Orationes *Demosthenis*, una cum *Harpocrate*, *Fabric. B. G. Lib. II. p. 870*
- LXI.** *Gregorii Nazianzeni* diuersa Poemata, cum latina translatione 4to
- LXII.** *Scipionis Carteromachi* Oratio, de utilitate Graecae Linguae, magno cum applausu in Gymnasio Veneto, habita
- A. C. MDV.
- LXIII.** \* *Ioannis Iouiani Pontani* Poemata, 8uo. Pars prima ad *Iacobum Collaurium*, Caesaris ab Epistolis, qua comprehenduntur  
*Vrania*, siue de stellis Libri V. a fol. 1 - 108. Meteororum liber unus fol. 109 - 137. Initio meteororum *Aldus* haec praemittit: Non ab re uisum fuit, si, quae





quae *Pontanus* ipse, in Principio Libri Meteororum  
 manu sua scripta, paucis ante diebus, quam e uita disce-  
 deret, ad me misit, imprimenda hoc loco curarem. Ea  
 uero sunt: Liber hic Meteororum; fuerat ante *Vraniae*  
 libros scriptus, uerum prius, quam ederetur, furto fuit  
 ob liuorem subreptus. Itaque, absoluta *Vrania*, Autor il-  
 lum refecit, et tanquam instaurauit, addiditque *Vraniae*  
 libris. De hortis *Hesperidum*, siue de cultu *Citrio-*  
*rum* libri duo fol. 138 - 159. *Lepidina* siue *Pastorales*  
*Pompaee* septem, a fol. 160 - 174. *Meliseus*, *Maeon*, *Alon-*  
 174 - 183. haec absoluta sunt *Venetis*, apud *Aldum*,  
 mense Maio MDV. Pars altera ad *Suardinum Suardum*  
*Bergomatem*, quem sic alloquitur *Aldus*: Summa be-  
 neuolentia in te mea, ob dulces mores tuos et uitae in-  
 tegratam, suauiss. *Suardine*, fecit, ut *Pontani* nostri  
 hendecasyllabos, cura nostra excusos, sub tuo nomine  
 emittendos curarem, in manus studiosorum. Tum et-  
 iam, quia cum *Venetis* esses, hendecasyllabos ad te  
 tres et triginta supra centum, quos de te composuerat,  
 misit, ut, una cum *Vrania* et caeteris poematis suis, mihi  
 imprimendos dares. Atque utinam tunc id facere li-  
 cuisset, cum et tu aderas, et ipse uiuebat. Praeser-  
 timque, cum quam maxime id cupere uideretur, et  
 quasi praesagiret, id quod euenit, ut ante e uita disce-  
 deret, quam characteribus nostris, nostro studio, suos  
 lusus excusos uideret. Satis enim et nostro et illius de-  
 siderio fecissemus. Vidisset, quantum curae, studii,  
 laboris, doctissimis suis ac diuinis poematis informan-  
 dis, adhibitum a nobis fuisset. Vidisset *Lucubrationes*  
 suas, suos lusus, sua pignora, amari, complecti, uenerari  
 a studiosis, iisdemque doctiss. Quam quidem rem non  
 accidisse, et tunc tuli moleste, et nunc maxime doleo.  
 Adde





Adde, quod, primo exemplari intercepto, alterum, sua ipsius manu perscriptum, te absente, ad me misit, orans, obsecransque etiam atque etiam, ut accelerarem editionem. Sed uide infortunium. *Simo* ille Philosophus, cui ad me librum dederat, in febrem grauissimam in itinere incidit, paucisque post diebus Patauii moritur, iisdemque diebus et *Pontanum* ipsum decessisse, renunciatum est. Illud etiam mirabere, anno fere post, ex quo is obiit mortem, exemplar ipsum mihi fuisse redditum. Haec autem ad te propterea publice scripsimus, ut nos, quod in hunc usque diem istaec opera edere distulerimus, et apud te, cuius censuram facio plurimi, et caeteros, uel istorum Poematum cupidissimos, uel *Pontani* amantissimos, hac epistola expurgaremus. Vale. Hac altera parte dantur: Hendecasyllaborum libri duo fol. 184 - 217. Tumorum Liber et Naeniae 218 - 229. Epigrammata 229 - 241. ubi ad calcem uoluminis: Venetiis, in aedibus *Aldi Rom.* mense Augusto MDV

*Pontani* opera, soluta oratione, iam anno MDI. mense Martio, folii forma, Venetiis, euulgarat *Bernardinus Vercellensis*. Est idem *Bernardinus Vercellensis*, cuius typis *Andreas Tovesano de Assula*, *Aldi* focer, anno MCCCCLXXXV, *Campani* opera, Venetiis, fol. imprimi curauit. Decennio, et amplius antea, Socium laboris habebat *Andreas Asulanus*, *Bartholom. Alexandrinum*, cum quo, anno MCCCCLXXXIII. Epistolas Ciceronis ad familiares, Commentar. *Hubertini Clerici Crescinatis* illustratas, et anno MCCCCLXXXVIII. eiusdem Rhetorica, et Q. Fratris librum de petitione Consulatus, excudit. Haec e literis amantissimi *Krausii*, recens ad me datis, obiter addere placuit, ad ea  
O magis





magis confirmanda, quae in dissertatione mea de *Andrea Asulano* traduntur

LXIII. \* Fabulae *Aesopi* et *Gabriae*, graece, atque latine, *Pburnutus*, *Palaephatus*, *Heraclides Ponticus*, *Orus*, Prouerbiorum graecorum collectio *Tarrbaei* et *Didymi*, item eorum, quae apud *Suidam*, aliosque habentur, per ordinem literarum. Etiam ex *Aphthonio*, *Philostrato*, *Hermogene*, *Gellio*, quaedam. fol. Venetiis, apud *Aldum*, mense Octobri MDV. De *Gabriae* fabulis *Aldus* ita in uoluminis epigraphe: *Gabriae* fabellae tres et quadraginta, ex trimetris iambis, praeter ultimam ex *Scazonte*, cum latina interpretatione. Quas idcirco bis curauimus informandas, quia priores, ubi latinum de graeco seiungi potest, admodum quam incorrecte, excusae fuerant, exempli culpa. Quare nacti emendatum exemplum, operae pretium uisum est, iterum excudendas curare, ut, ex secundis, prima queant corrigi.

LXV. *Virgilius*, recusis, suo ad *Petrum Bembum*

LXVI. *Gli Asolani* di Messer *Pietro Bembo* suo, Dialogi de amore

A. C. MDVI

A. C. MDVII

LXVII. *Aristotelis* *Mechanica*

A. C. MDVIII

LXVIII. *Iulius Obsequens* de Prodigiiis, suo ad *Iucundum Veronensem*, a quo sibi donatum, edidit *Aldus. Fabr.*  
B. L. 536

LXVIII. *C. Plinii secundi* Epistolae, Panegyricus, de Viris illustribus Liber, *Suetonius* de claris Grammaticis et Rhetoribus, ad *Aloisium Mocenicum*, Equitem et Senato-

nato-





natozem Venetum, cui gratias *Aldus* agit, pro allatis e Gallia membranis, Epistolarum Plinii manuscriptis, unde nonnulla accefferunt, quae, in prioribus editionibus, desiderabantur. In *Fabric. B. L. p. 481.* haec anni MDVIII. editio ad annum MDIII. mendo typographico refertur.

LXX. *Nonni* Paraphrasis in Euangelium S. *Ioannis* 4to.

*Cave* Scriptor. *Ecclef. Histor. Literar. p. m. 213*

LXXI. *Aristotelis* ars poetica

LXXII. \* *Erasmi* Adagia foliis 249. praeter indices. Praefatur *Aldus* ad Studiosos, statim sub ipso titulo, dicitque, se, intermissis antiquis Auctoribus, hoc opus edendum curasse, ob utilitatem et eruditionem

A. C. MDVIII

LXXIII. \* *Horatius*, altera editio, *Fabr. B. L. p. 240.*

Septennio ante, prima uice, prodierat, teste ipso *Aldo*, in praefatione ad *Iafredum Carolum*, ICtum, ac Regii Senatus, in urbe Mediolano, Moderatorem, ante triennium *Aldo* Mediolani conciliatum, apud quem tum, cum multis Academicis, saepe conuenerat. Accidit autem, cum *Aldus* Cremona Afulam proficisceretur, per Mantuanum agrum, ut milites Mantuani, hostibus insidiantes, *Aldum*, per errorem, caperent, et Canenti, quod ab Mantua xx. millia passuum abesse aiunt, carceri tetro includerent; ex quo, intercedente *Iafredo* hoc, legato tum Regio apud Mantuae Principem, *Aldumque*, ipso cum suo comitatu, educente, statim honorifice liberatus est. Id factum indicatur Iulio Mense. Praefatio data III. Calend. April. MDVIII. Liber excusus, mense Martio. Sub finem adiicit *Aldus*: Iussu Mandatoue III. P. S. Q. V.





Nobilis, Literator, Plebeie, Impressor, Mercator, Mercenarie, quisquis es, id genus characteres, decennium ne attingito. Libros, huiuscemodi literulis excufos, neu impressito, neue uendito. Si quis, huiusce iussionis ergo, aduersus ierit, feceritue, poenas statutas pendito, eaeque Magistratus Orphanotrophii Delatoris sunt

LXXIII. *Plutarchi* Moralia, graece, fol. ad *Iacobum Antiquarium Perusinum*. *Fabric.* B. G. Lib. IV. p. 371. Vitae *Plutarchi* Parallelae, ab *Asulanis* demum sunt editae

LXXV. *Sallustius*, 8u. *Fabric.* B. L. p. 152  
A. C. MDX

LXXVI. *Martialis*, ad quam editionem *Aldinam* repetita Lugdunensis 1522. *Nic. Ant. Bibl. Hispan. Vet.* p. 66


A. C. MDXI

LXXVII. *Catullus, Tibullus, Propertius*. Ita Catalogus librorum *Aldinorum*, ab Amico quodam adornatus, et usibus meis benigne concessus

A. C. MDXII

LXXVIII. \* *Constantini Lascaris, Byzantini*, Grammatica graeca, cum interpretatione latina, editio altera, priori per omnia respondens. Venetiis, apud *Aldum*, mense Octobri MDXII 4to. Hoc uolumine, sicut et Erotematibus *Chrysolorae*, me beneuole donauit, cum annis superioribus institutum meum perciperet, Vir exquisitissimae doctrinae, mihi que amicissimus, *M. Gottfridus Baltasar Sebarffius*, coetus A. C. apud Suidnicenses in Silesia Senior dignissimus. Eius autem symmystae doctissimo, *Georgio Abrahamo Michaeli*, Consobrino meo suauissimo,  
ca-





capita Gallica debeo, quae *Cbeuillerius*, de *Aldo*, literis consignauit.

**LXXVIII.** \* *Erotemata Chrysolovae*. De Anomalis uerbis. De formatione temporum, ex libro *Chalcondylae*. Quartus *Gazae* de Constructione. De Encliticis. Sententiae Monostichi ex uariis Poetis. Omnia graece 8uo pagin. 296. Venetiis, in aedibus *Aldi* MDXII. Ad *Caesarem Aragonium*, quem *Aldus* ita alloquitur: *Manuel Chrysoloras*, qui, primus Iuniorum, reportauit in Italiam literas graecas, easque ipsas Florentiae, multos, ut aiunt, annos professus est, rudimenta Grammatices graecae linguae, et docte et breuiter composita, edidit. Ea nunc, hortatu *Marci Musuri Cretensis*, Viri doctissimi, qui nunc publice profitetur, Venetiis, frequenti semper ac graui auditorio, literas graecas, imprimenda curauimus. Tum alia quaedam addidimus, non inutilia iis, qui graece discere concupiscunt. Quam ob rem meas esse partes duxi, pro mea, erga familiam *Aragoniam*, ac in te praecipue, beneuolentia, si illa, sub tuo nomine, publicarem, excusa typis nostris, munerique ad te mitterem, ut, ipsis legendis ediscendisque, proficias plurimum graecis literis, quarum es studiosissimus; quando sic iam latinis profecisti, nondum annos natus duodecim, ut, et carmine, et prosa oratione, quod legis, intelligas.

**LXXX.** *Valerius Maximus* 8uo.

A. C. MDXII.

**LXXXI.** \* *Aristotelis* de Animalibus, et *Theophrasti* de Plantis libri, Interprete *Theodoro Gaza*. Altera editio. Venetiis, in aedibus *Aldi*, et *Andreae Asulani*, *Soceri*. Mense Februar. MDXIII. fol.





- LXXXII. \* *Caii Iulii Caesaris* commentariorum de bello Gallico Libri VIII. et de bello ciuili Pompeiano Libri III. ex recensione *Iacundi Veronensis*. Accedunt *A. Hirtii*, siue *Oppii*, Commentarii de bello Alexandrino, Africano et Hispaniensi, cum picturis quibusdam, et locorum, atque Populorum nominibus suo. Venetiis, in aedibus *Aldi*, et *Andreae*, Soceri, MDXIII. mense Aprilis paginae 296.
- LXXXIII. \* *Rhetores Graeci* fol. Parte I. habentur orationes *Aeschinis*, *Lysiae*, *Alcidamantis*, *Antisthenis* et *Demadis*. Item *Aeschinis* et *Lysiae* uita, omnia graece, paginae 197. Parte II. extant orationes *Andocidis*, *Isaei*, *Dinarchi*, *Antiphontis*, *Lycurgi*, *Gorgiae*, *Lebonaetis*, et *Herodis*, paginae sunt 162. In fine: Venetiis, apud *Aldum*, et *Andream*, Socerum, mense Aprili MDXIII. inscripsit *Aldus Francisco Faseolo*, Iurisconsulto, ac Senatus Veneti a Secretis magno, pridie Non. Maii MDXIII. In praefatione de illis orationibus ita uerba facit: Latebant in Atho, Thraciae monte; Eas *Lascaris* is, qui, ab hinc quinquennium, pro Christianiss. Rege Venetiis, summa cum laude, Legatum agebat, doctissimus, et ad unguem factus homo, in Italiam reportauit. Miserat eum ipsum *Lauentius* ille *Medices* in Graeciam, ad inquirendos, et quantouis emendos pretio, bonos libros. Vnde Florentiam, et cum iis ipsis Orationibus, et cum aliis, tum raris, tum pretiosis uoluminibus, rediit. Debemus quidem *Lascari*, qui, summo studio conquisitos, tot bonos libros, ad nos Graecia aduexit, sed longe magis *Laurentio Medici*, cuius iussu opibusque, et liberalitate regia, id factum est.
- LXXXIII. \* *Isocratis* Orationes. *Alcidamantis* contra dicendi





- cendi Magistros. *Gorgiae* de Laudibus *Helenae*. *Aristidis* de Laudibus Athenarum. Eiusdem de Laudibus Urbis Rom. fol. pagina 169. Ad *Ioannem Baptistam Egnatium* praefatio data, mense April. MDXIII. Ad calcem: Venetiis, in aedibus *Aldi* et *Andreae*, Soceri; III. Non. Maii MDXIII
- LXXXV. \* *Ciceronis* Epistolas ad *Atticum Brutum* et *Q. Fratrem* quo Venet. in aedib. *Aldi*, et *Andreae*, Soceri, mense Iunio MDXIII. ad *Philippum Cyulanum Moram Pannonium*, a Secretis Regis, atque oratorem apud Venetos, Compatrem suum, et Patronum eximium.
- LXXXVI. \* *Platonis* Opera, graece, fol. ad *Leonem X.* Pontificem Maximum. Venetiis, in aedib. *Aldi*, et *Andreae*, Soceri, mense Septembri MDXIII. Praemittitur *Musuri* carmen graecum tersissimum, in Laudem *Platonis*
- LXXXVII. \* *Varronis* de Lingua latina liber. *Sexti Pompeii Festi* Librorum unde uiginti, fragmenta. *Nonii Marcelli* compendiosa doctrina de proprietate Sermorum fol. Venetiis, in aedibus *Aldi*, et *Andreae*, Soceri, MDXIII. mense Nouembri
- LXXXVIII. \* *Strozzii*, Poetae, *Titus* Pater, et *Hercules* Filius; utriusque Poemata Latina quo ad *Lucretiam Borgiam*, Ferrariae Ducem. Praecedunt Carmina *Herculis* filii, paginis 96. Sequuntur Carmina *Titi* Patris, paginis 152. sub quorum exitum habetur *Coeclii Calcagnini* Oratio, in obitum *Herculis Strozzae*. Postrema Voluminis uerba: Venetiis, in aedibus *Aldi*, et *Andreae Asulani*, Soceri MDXIII
- LXXXVIII. *Pindarus*, *Callimachus*, *Dionysius* de fitu Orbis, *Lycopbron*, graece, sine Scholiis quo *Fabric. B. G.* Libr. II. p. 535

LXXXX.





LXXX. *Pontani* Poemata, recusa

LXXXI. \* *Alexandri Aprobodisensis*, in *Topica Aristotelis*,  
 commentarii, ad *Albertum Primum*, Carporum Princi-  
 pem, ac Caesareae Maiestat. apud Pontificem maxi-  
 mum, oratorem. Opus absolutum fuit, Venetiis,  
 in aedibus *Aldi*, et *Andreae*, Soceri, mense Septem-  
 bri MDXIII. fol. Publice uero comparuit, anno de-  
 mum sequenti. Cuius dilationis causam, memoria  
 dignam, in praefatione, Venetiis 15. Febr. MDXIII.  
 data, hic describit *Aldus*: Optima quaeque difficillima  
 factu esse, cum aliis plurimis, tum praecipue, in dura  
 hac prouincia nostra, emittendorum librorum utrius-  
 que linguae, in manus studiosorum, sum saepe exper-  
 tus. Alia enim ex aliis impedimenta, et incommoda,  
 non cessant obstare, iam multos annos, ne, ut cupi-  
 mus, prodesse possimus bonarum literarum studiosis;  
 ut nuper accidit. Differeram edere *Alexandri Aprob-  
 odisi*, in *Topica Aristotelis*, commentarios, superiore  
 anno excusos, cura nostra, expectans, quos, in ea  
 ipsa *Topica*, graece scripserat commentarios *Fran-  
 ciscus Victorius Bergomas*, Philosophus et Medicus  
 quam doctissimus, in quibus, et stylo et doctrina, cer-  
 tare uidebatur, cum eo ipso *Alexandro*, et ceteris Grae-  
 cis, qui, uel *Platonem*, uel *Aristotelem*, doctissime  
 interpretati sunt, ut, una cum *Alexandri* Commen-  
 tariis, publicarentur; quod opus ad circiter quinqu-  
 ginta Quaterniones excreuerat. Sed fortuna tot  
 labores, et tam doctas lucubrationes, inuidit nobis.  
 Nam paucis ante diebus, quam haec ad te scriberem,  
 domus, quam ille habitabat, tam repentino celerique  
 incendio, tota absumpta est, ut et ii, quos dixi, com-  
 mentarii, et tota eius Bibliotheca, optimorum plena  
 libro-

LXXXI





librorum utriusque linguae, miserabiliter arserint. - -  
Interim hosce *Alexandri* commentarios, sub tuo no-  
mine, a nobis editos, in manus hominum, si quid,  
occupatissimo tibi, maximae molestiarum, et turbu-  
lentissimae tempestates nostrorum temporum, tribuent  
otii, cum, ipsorum doctrina et excellentia, studiose  
leges, tum etiam, quia *Musurus* noster eos, cum an-  
tiquis conferens exemplaribus, accuratissime recogno-  
uit. Dabuntur deinceps, Deo uolente, caetera omnia  
in *Aristotelem*, dabuntur et alia suo tempore. Nam  
etsi,

Vicinae ruptis inter se legibus urbes,

Arma ferunt, saeuit toto Mars impius Orbe,

tamen quieturi nunquam sumus, nisi pollicita praesti-  
terimus, saxumque illud grauiissimum, quod tot an-  
nos assidue uoluimus, in montis apicem perduxerimus.  
Vale decus ingens Principum, et gloria huius aetatis  
Philosophorum. - - Haec et alia non pauca, per-  
missu celeberrimi *Crantzii*, Rectoris et Bibliothecarii  
Elisabethani, atque Gymnasiorum Vratislauen-  
sium Inspectoris meritissimi, Vir humanissimus, *Gotfridus*  
*Givischius*, literis interioribus, et Philologicis et Philo-  
sophicis, elegantissime perpolitus, ad Catalogum il-  
lum conficiendum, e forulis Elisabethanis, mihi bene-  
uole suppeditauit

A. C. MDXIII

LXXXII. \* *Suidas*, graece, fol. cum *Aldi* Praefatiuncula  
graeca, Venetiis, in aedibus *Aldi*, et *Andreae*, So-  
ceri,

P

ceri,





ceri, mense Februar. MDXIII. fol. complectitur folia 391

LXXXIII. \* *Ciceronis* opera Rhetorica, 8u. maiori, folia 245. Venet. in aed. *Aldi*, et *Andreae*, Soceri, mense Martio, MDXIII. ad *Andream Naugerium*, Patritium Venetum

LXXXIII. \* *Athenaeus*, graece, ad *Ianum Vyrbesi Pannonium*. Venet. ap. *Ald.* mense Augusto MDXIII. fol.

LXXXV. \* *Hesychii* Lexicon, graece, ad *Iacobum Bardellonum*, nobilem Mantuanum, a quo acceperat. Ven. ap. *Aldum*, mense Augusto MDXIII. fol.

LXXXVI. *Cato*, *Varro*, *Columella*, *Palladius*, de re rustica, 4to *Fabric. B. L.* p. 535

LXXXVII. *Quintilianus*

LXXXVIII. *Petrarcha*, hetrusce. Altera editio *Aldina*, quam omnium accuratissimam credunt. *Crescimbeni* nell' Istoria della uolgar. Poesia lib. IV. p. 310

A. C. MDXV

LXXXVIII. *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, 8uo, ad *Marinum Sannutum*, Patritium Venetum

C. *Lucanus* 8uo


CI. *Lucretius*, 8uo, Venetiis, in aedibus *Aldi*, et *Andreae*, Soceri, mense Ianuario MDXV. ad *Albertum Pium*, Carporum Principem, folia sunt 127

CII. *Dantes*, hetrusce, 8uo. *Crescimbeni* nell' Istoria della uolgar Poesia lib. III. p. 296

CIII. *Aldi* Grammatica latina 4to

CIII.





- CIII. Eiusdem Grammatica graeca, post obitum *Aldi*, demum a *Musuro* edita
- CV. *Lactantii* opera, cum *Tertulliani* Apologetico, 8u. Venetiis, in aedibus *Aldi*, et *Andreae*, Soceri, mense Aprili MDXV. cura *Ioannis Baptistae Egnatii*, tristissimum *Aldi* obitum, in praefatione, acerbe, lugentis
- CVI. *Ovidius*, III. Volumin. 8uo, ex recensione *Andr. Naugerii*, per *Andream Asulanum*, in praefatione promittentem, se, *Aldi*, defuncti, uestigia, diligenter praesurum
- CVII. *A. Gellius*, mense Septembri, *Ioannes Baptist. Egnatius* dedicauit *Antonio Marsilio*, *Veneto*, ubi laudat Amicitiam *Aldi*, et addit, neque solum id ego sentio, sed Academici plane omnes nostri fatentur

*Libri ab Aldo sine die et consule editi*

- CVIII. *Musaei* Poemation, de *Herone* et *Leandro*, graece et latine, 4to cum *Aldi* praefatione graeca. Prodiit anno forte MCCCCLXXXIII. cum *Aristotelis* Organon, et alia, fatigarent praeter. *Maittair*. Annal. Typogr. p. 234
- CVIII. *Aesopi* Fabulae, graece, teste *Maittair*. p. 237
- CX. Psalterium graecum, 4to, cui graeca *Iustini Decadyi* ad suos populares, Epistola praefigitur. *Maittair*. p. 282. anno plus minus MCCCCLXXXV. excusum
- CXI. Officium in honorem D. Virginis, cum Psalmis poenitentialibus, e latino in graecum, forma minutissima, eiusdem *Decadyi* cura





CXII. \* *Q. Calabri, siue Smyrnaei, Paralipomena Homeri, cum Tryphiodori Aegyptii, Grammatici, Carmine de Ilio capto: uolumen habet Ancoram cum Delphino*

Prodierunt etiam apud *Aldum*, Seniore, *Terentius, Plautus, Cornelius Nepos, Bocatii* opera hetrusca, *Polybii* historiarum libri V. *Nicolao Perotto* interprete, aliaque, quorum annum editionis indagare, mihi nondum licuit.

Multa praeterea, dubio procul, notitiam meam omnino fugerunt. Interim beneuolus, et historiae literariae studiosus, Lector, consulere haec aequi bonique uelit





SAMVELIS LVTHERI  
GERETI A. M.

IN

CHRISTIANI THEOPHILI VNGERI

DE

ALDI PII MANVTII ROMANI

VITA MERITISQVE IN REM LITERATAM  
DISSERTATIONEM

*OBSERVATIONES*

VMAZ



SAMVELLS LVTHERI

GERETI

CHRISTIANI THEOPHILI WINGERI

ALDIPPI MANVTI ROMANI

VITA MERITISQVE IN REMLITTERAM

DISSERTATIONEM

OBSEKVNATIONES






OBSERVATIONES  
AD SECTIONIS PRIMAE  
PARAGRAPHVM PRIMAM

1) **V**erissimum quidem est illud incerti poetae, apud  
STOBAEVM p. 516 χρόνος δ' αμαυροί πάντα, κ' ες  
ληθην αγει. Nullius tamen memoria dignior  
est, quae propagetur, eruditorum nomine, qui,  
fermone suo, doctrina alios ac uirtutibus, ornarunt. Au-  
diamus, VITRUVIVM, haec, in praefatione libri VIII. *de*  
*Architectura*, lectissimis sententiis, ita dilatantem: *Nobilibus,*  
*inquit, athletic, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea,*  
*uicissent, Graecorum maiores ita magnos honores constitue-*  
*runt, uti non modo in conuentu stantes, cum palma et corona*  
*ferant laudes, sed etiam cum reuertantur in suas ciuitates,*  
*cum uictoria, triumphantes quadrigis, in moenia et in patrias*  
*inuebantur, e reque publica perpetua uita constitutis uectigali-*  
*bus fruuntur. Cum ergo id animaduertam, admiror, quid*  
*ita non scriptoribus iidem honores, etiamque maiores sint tri-*  
*buti,*





buti, qui infinitas utilitates aeuo perpetuo omnibus gentibus praestant. Id enim magis erat institui dignum, quod athletae sua corpora exercitationibus efficiunt fortiora, scriptores non solum suos sensus perficiunt, sed etiam omnium libris ad discendum et animos exacuendos praeparantes praecepta. Quid enim MILO CROTONIATES, quod fuit inuictus, prodest hominibus? aut caeteri, qui eo genere fuerunt uictores, nisi quod dum uixerunt ipsi, inter suos ciues habuerunt nobilitatem? PYTHAGORAE uero praecepta, DEMOCRITI, PLATONIS, ARISTOTELIS, caeterorumque sapientum quotidiana perpetuis industriis culta, non solum suis ciuibus, sed etiam omnibus gentibus recentes, et floridos edunt fructus; e quibus qui a teneris aetatibus doctrinarum abundantia satiantur, optimos habent sapientiae sensus, instituuntque ciuitatibus humanitatis mores, aequa iura, leges: quibus absentibus nulla potest esse ciuitas incolumis. Cum ergo tanta munera ab scriptorum prudentia, priuatim publiceque, fuerint hominibus praeparata, non solum arbitror palmas et coronas his tribui debere, sed etiam decerni triumphos, et inter Deorum sedes eos dedicandos iudicari. Rectissime, si discesseris a superstitione. Nam cum nullorum fere laudem, magis senescentem, uideamus, quam hominum eruditorum, haec eorum quoque, quantum potest, ab obliuione hominum, atque a silentio, uindicari debet. Quod ipsum TVLLIUS, de Oratore L. II. sibi propositum habuit, dum L. CRASSI atque M. ANTONI patronum se constituit, ut illa opinio, quae semper fuisset, tolleretur, alterum, non doctissimum, alterum, plane indoctum fuisse. Quapropter c. 2. ita uerba facit: deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putauit, ut, cum etiam nunc uiuam, illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem. Quod hoc etiam spe aggredior maiore ad probandum, quia non de SERGII GALBAE aut C. CARBONIS eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere,



*si quid uelim, nullius memoria iam refellente; sed edo haec  
iis cognoscenda, qui eos ipsos, de quibus loquor, saepe audie-  
runt: ut duos summos uiros, iis, qui neutrum illorum uiderint,  
eorum, quibus ambo illi oratores cogniti sint, uiuorum, et  
praesentium, memoria teste, commendemus*

2) Quod fortassis artis, quam coluit ALDVS, con-  
temptione moti, fecere. Scimus enim, non semper ueris uir-  
tutibus honorem niti, artiumque utilitate, sed opinione  
hominum, saepe prorsus inconsiderata, atque in externa  
specie haerente. At, qui typographiam in maximis nume-  
rat omnis doctrinae subsidiis, (uid. *Rolandus MARESIVS* ad  
*Henricum VALESIVM* L. I. Ep. V. p. 16.) nae is eius cultores non  
spernet, praesertim, si ipsi floruerint doctrina. Vnde MOR-  
HOFIVS in *polyhistore* a se edito T. I. L. I. c. VII. 37. p. m.  
59 *celebrium*, inquit, *Typographorum, eadem esse notitia  
debet, quae uiuorum doctissimorum.* Cogitarunt idem illi,  
qui, inter paucos, ALDI nostri iniecere mentionem, quip-  
pe qui eo magis, inter typographos, attendi debet, etiam si,  
in uiuorum eruditorum classe, nullum, ut habet, locum teneret,  
quia hic primus philosophiam, in qua illustranda nullus  
adhuc se exercuerat typographus, intactam adeo, aggres-  
sus est, et illas omnes alias artes ac scientias, typis suis, e  
tenebris Manuscriptorum, in quibus paucioribus notae, la-  
titabant, protraxit. *Vir ille, Typographorum omnium, qui  
graecis editionibus inclaruerunt, coryphaeus, in commune  
bonarum literarum commodum natus, qui non unam aut alte-  
ram literaturae partem, non hunc illumue, in hac aut illa  
lingua, autorem, sed uniuersam pene disciplinae εγκυκλοπαι-  
δειαν, cunctos pene in illo orbe egregios scriptores ornauit;  
uir, inquam, ille dignus est, in cuius uita perlustranda at-  
tentius moremur.* MAITTAIRIVS T. I. edit. *Imae Annali-  
um Typogr.* p. 229. Sunt autem illi, quos nos quidem de

Q

ALDO





ALDO aliquid publici iuris fecisse sciamus, exceptis, qui, dum de arte typographica egere, necessario meritorum eius recordari debuerunt, hi fere: *Conr. GESNERVS in bibliotheca uniuersali* p. 22, 23. *Geo. Matth. KOENIGIVS in bibliotheca V. et N.* p. m. 504. *Io. Iac. HOFMANNVS in Lexico Vniuers.* T. III. p. 46. *Ludou. MORERI in: le grand dictionnaire Historique* T. II. p. 528. TRITHEMI continuator, OPME- RVS in opere, supra p. 17 citato, MIRAEVS in libro *de scriptoribus saeculi XVI.* c. 27. p. 124. edit. FABRIC. GHILINI in *Teatro d' huomini letterati*, TEISSIERIVS in *eloges des Sa- uans*, BAILLETVS in *iugemens des Sauians* T. I. P. II. QVENSTEDT *de patriis illustrium uiroorum* p. 368, ubi ALDV M, *pulsa barbarie*, CAMILLVM alterum, ap- pellat, GARZON in *platea Vniuers.* Discours. 129. Polydo- rus VERGILIUS *de inuentione rerum*, Claudius CLEMENS in *Museo* L. I. Sect. VI. c. 2. LOMEIERVS *de bibliothecis*, c. VIII. Sect. III. *Angelus ROCCA in bibliotheca Vaticana* p. 402. *Lud. GVICCIARDINVS in Harlema*, TIRINVS in *indice Auctorum* et denique *Auctores Actorum eruditorum Lipsiens.* A. c. MDCCXVIII p. 480, ubi ALDI nostri uita, a MAIT- TAIRO eleganter descripta, scite contrahitur, STRVVIVS- que, in *introd.* in notitiam rei lit. Cap. XI. §. 16. Ceterum, qui de arte typographica scripsere, quos etiam praetereun- dos sibi non putauit noster, illos uide apud eundem STRV- VIVM cap. XI. §. 1

3) Vnica scilicet haec uia est, uitam nostri ALDI ad li- quidum perducendi. Illam MAITTAIRIVS quoque ingres- sus est, ut ipse fatetur T. I. edit. Imae p. 255: *Non (ut pu- to,) mihi succensebit lector, quod in singulis Aldinarum edi- tionum epistolis, praefationibus, epigrammatibus, euoluen- dis et examinandis, nimium operae consumserim: cum ex ni- hilo melius deprehendi possit, et ALDI ingenium, et rei litte- rariae*

O C I A



variae illis temporibus status; quibus et quorum auspiciis haec creuerit, quam ille fuerit, uti in praelo, ita in stilo, emendatus, quam, in studiorum suorum sociis et adiutoribus, aequae ac patronis deligendis, peritus, quanti denique fuisse illum oporteat, quem docti, in uniuerso orbe, uiri, prope omnes, tanti fecerunt

## §. II

4) p. III. Quanquam MAITTAIRIVS natalem ALDI annum ad cIo cccc xxxv refert, T. I. edit. I. p. 229; quia ERASMVVS in epistolis testetur, ALDVM haud multo minorem annis LXX decessisse, et alibi commemoret, se, ERASMO, ALDVM plus minus annis uiginti grandiore, tamen ideo Auctor VNGERVVS a uero non aberrat, cum annum cIo cccc xxxvi. aut xxxvii posuit; siquidem in hac re nihil certi statui potest, tum, propter minus definitas ERASMI locutiones, tum, quia in ipso natali anno ERASMI uariant auctores, aliis illum ad A. cIo cccc lxxvii, aliis A. LXXV et CHYTRAEO in *Cbron. Sax. L. V. A. LXVI.* figentibus. Consentit tamen MAITTAIRIVS in die ALDI emortuali

5) p. V. Multis de caussis in republica literata, et ipse eruditissimus et eruditorum Maccenas, commemorandus. Hic *Petri Catbarini* frater, cui, cum Viennam, poeta atque Historiographus Caesareus, CAROLO VI Imperatore, iret, quod inceperat *giornale dei letterati d'italia*, continuandum, commiserat, Venetiis cIo ccccl d. xiv. Nouembr. diem obiit supremum. Quod in IOECHERI V. S. V. Lexico eruditorum uniuerso, ab ZENO profectum memoratur scriptum; *Memorie storiche sopra i Manucci*, uellem, ut ad manus fuisset, eo libentius, quo ardentius illud, plane nondum uisum, perlegere, cupio. Ibidem uero, unde haec edoctus sum, uideo, aliquod non intelligendum scripsisse





Virum doctissimum, aientem, in Manuscripto reliquisse  
 ZENVM: *dissertatione Vossiane*. Si enim praeclaras illas ac-  
 cessiones, obseruationesque diligentes et accuratas, quae,  
 ZENO hoc auctore, de historicis italis, qui Latine scripserunt,  
 ad Librum VOSS I III. adiunctae sunt, intelligit, hae in  
 lucem prodierunt, in Diario antea commemorato, *dei lette-  
 rati d' italia*, T. VIII, p. 132 seqq. et inde in tomis singu-  
 lis usque ad XXVIII, exceptis XXV et XXVII. uid. FABRIC.  
 in *conspectu thesauri literarii italiae* p. 12, ubi etiam p. 282  
 MSCtum ZENI, in Lexico memorato omissum, uidebis,  
 ex Io. CINELLI *bibliotheca uolante*, pluteo XVI p. 10, anno-  
 ratum: *Storia della Poesia et de' Poeti Toscani*. Illud deni-  
 que de nostro ZENO non omittendum, ipsi illam laudem  
 deberi, quod ex theatro itaforum, histriones, uel grauissi-  
 mis principum negotiis se immiscentes, primus, exire iusse-  
 rit, ut narratur in *la lettre Manuscrite du Comte sur le Chara-  
 ctère des Italiens*, recensita, in *Bibliothèque Italique* T. VI.  
 VII. VIII. Art. V. T. VIII. Art. III. et T. X. Art. III. atque  
 ex his in *Leipziger gelehrten Zeitungen* A. 1731 p. 524, 544.  
 A. 1732 p. 9. p. 508. et p. 594

6) p. V. MANVTIORVM nomen, in antiquis libris  
 italicis, semper *Manuzzi*, uel *Manucci* scribitur, et di-  
 minutum est de *la mano*, seruata latinorum significatione, ma-  
 nus. In graecis etiam, ut in latinis, ALDVS uariavit scri-  
 pturam *Manutii*, modo edit Μανυτιος, modo Μανυκιος.  
*Maittair*. T. I edit. I. p. 238

## §. III

7) p. V. BAILLETI, nulla in re, auctoritas tanta est,  
 ut mouere ullo pacto hominem, literis melioribus tinctum,  
 debeat. Quam hic ALDO facit iniuriam? Si tantum tem-  
 poris uellem consumere, quantum requiritur, ad euol-  
 uen-



uendos libros hominum uere eruditorum, multas querelas de BAILLETO dare possem, testimoniaque, minus solidam in ipso et linguarum, et artium generatim, scientiam fuisse, etsi plurimum laudis aucupetur. Interim ipse imbecillitatem sui ingenii quibusuis fere paginis prodit. Neque se purgavit libello, *satyres personelles*, sed magis concitauit eruditos, auxitque crimina, sibi obiecta. Praeter caeteros doctissimus MENAGIVS in *Antibailleto* sexcentorum ipsum conuicit errorum, rationibus adeo firmis, ut oculis cernantur. Quin ipse MONNOYE, qui, cum obseruationibus suis, BAILLETI *iugemens* recudenda curauit, quamquam in gratiam bibliopolarum, maiori, quae humanitatis studii digna est, modestiae studet, tamen his ipsis blandis uerbis, in obseruationibus, auctorem suum, satis superque ignarum, audacem, praecipitemque declarat, quorsum legatur T. I. p. 100. seqq. p. 200. seqq. et ubi de ALDO nostro agit, itemque MONNOYI commonitionem (auertissement) ad nouam *Antibailleti* editionem. Tanto minus uellem MORHO-FIVM liberalem, in laudando BAILLETI opere, T. I. L. I. c. XV, 55. seq. p. m. 181. cum quo etiam facit STRVVIVS l. c. Cap. V. §. 23. et controuersiam cum MENAGIO refert cap. VIII. §. 2, si quidem hoc in detrimentum eorum, qui duces deinde, hoc excitati iudicio, ipsos errantes, sequuntur, uertitur. Vel illi enim, qui, periti harum rerum, laudant BAILLETVM, eius, non opera, sed personam laudant; mores eius, uitamque tranquillam, boni item exempli, non scientiam atque eruditionem; ubi tamen non ipsas internas animi dotes respiciunt, quippe qui plenus fuit, inuidia, uanae gloriolae cupidine, rerum iudicandarum cogitatione non satis diuturna, laudis obtrectatione, ne a conuiciis quidem sibi temperante, nimio in patriam amore. Quibus quidem uitis si caruisset, germanum nomen, pigmen-





gmento parum ingenioso, minime lacerasset: *les Allemans sont toujours Allemans*; ad quod recte I. C. MORHOVIUS: *Quasi non et apud ceteras gentes homines inepti essent, neque apud Germanos, uiri docti.* Ceterum de BAILLETI uita legi potest T. I. P. II. *des Jugemens des Sauans*, et NICERON in: *Memoires pour servir a l'histoire des Hommes illustres dans la Rep. des Lettres* T. III. et X


8) p. V. Sic idem accidit ALDO, quod SCALIGERO, a principibus Veronensibus, ad uespillones, per SCIOPPIVM, detrufo. Fecit hoc in *Scaligero hypobolimaeco*, seu, *elencho Epistolae Iosephi Burdonis, Pseudo scaligeri, de uetustate et splendore gentis scaligerae*, Mogunt. 1607. Nec uero aequo haec animo ferebat SCALIGER, sed *Confutationem fabulae Burdonum*, opponebat; at iterum oppugnatus a SCIOPPIO in *responsione ad confutationem fabulae Burdoniae*: quemadmodum narrat STOLLIVS in *der Nachricht uon den Büchern und deren Vrbebern in der Stollischen bibliothec*, Vol. I. p. VII. p. 683, 684, ibidemque citat MENAGII *antibailletum* T. I. p. 284. seqq. Minorem modo BAILLETVS hic speciem habet, cum ALDVS, loci natalis nomen, non dissimulauit, sed utrumque et *Romani et Bassianatis* coniunxit, u. c. in dedicatione ad ALBERTVM PIVM, ARISTOTELIS octo, de physico auditu, libris, 1497 a se editis, praemissa, itemque in illa, ad studiosos omnes, *Thesauro cornucopiae etc.* 1496, a se in lucem dato. uid. MAITTAIR. T. I. edit. I. p. 241, 245 et *Jugemens des sauans* T. VI. p. 318, ibidemque notas editoris accuratissimi. Quamquam negari non potest, saepius se *Romanum* appellari maluisse; nisi forte ea ipsa re euitare uoluit, ne *Bassianus Patavinus* putaretur, cum *Bassianus Romanus* esset, ut ostendit VNGERVS §. V. p. VII. et §. VI

9) p. VI.



9) p. VI. Animus est, imprimis in sequentibus, ubi  
 niri, sub renascentes in italia literas, clari, saepius occur-  
 runt, ubi de iis plura inueniri possint, indicare. Neque  
 enim haec parui facienda sunt, dum, quod scio, eorum ipso-  
 rum hominum, quorum, inter nos adhuc, recens esse de-  
 beret notitia, uix ac ne uix quidem recordamur, praefer-  
 tim, qui non egregiis quibusdam scriptis omne hodie pun-  
 ctum tulerunt. Non, quos ad HEVMANNI V. S. V. *Con-*  
*spectum hist. lit.* singulari libello dedit STOLLIVS, repetam,  
 neque eos, qui aperiuntur in IOECHERI V. S. V. Lex. Erud.  
 Vniu. fontes, dabo, sed illos, in quibus ipse aliquid inueni.  
 A MAIORAGIO, illo quidem fatis noto, nunc, cum ordo po-  
 stulet, incipiamus. Nomen primum habuit, *Antonii Ma-*  
*riae Comitis*. Noluit uero postea *Mariae* retinere nomen,  
 tamquam femineum, (utinam hoc tempore ita saperent  
 non solum Pontificii, sed uel ipsi Lutherani, quorum quos-  
 dam, scimus, idem nomen, suis imposuisse,) locoque  
 eius *Marci* sumsit, uehementer ideo a FABIO LVPO, MAXIMO-  
 que NIGRO accusatus, a quibus in ipsa, ab VNGERO citata,  
 oratione, se defendit, quam pagina 188 editionis orationum  
*Hartungianae* legere est. *Comitis* etiam nomen, quod fa-  
 miliae erat, a loco natiuitatis, in *Maioragii* mutauit. Haec  
 causa est, cur GESNERVS in *bibliotheca sua* duos faciat, et  
*Comitem Antonium Mariam* et *Marcum Antonium Maio-*  
*ragium*. p. 59. b. et p. 493. b. Dedit nobis de hoc MAIO-  
 RAGIO elegantem uitae descriptionem *Io Petr.* KOHLIVS, uir  
 ad iuuandam rem literatam natus, qui nobiscum etiam ea,  
 quae, non ubiuis obuia, de PAVLLO dabimus MANVTIO,  
 beneuole, quae est singularis eius humanitas, communi-  
 cavit. Plura si uolueris de illo nosse, adeas SANDERVM  
 de *claris Antoniis* L. III. p. 134. NICERON. l. c. T. XXXXI.  
*Ianum Nicium Erythraeum* in *Pinacotheca*. l. p. 58. *Io. Mat-*  
*thaeum*





*thaeum* TOSCANVM in *peplo italiae* L. III. n. CLXIII. MORHOFIVM l. c. I, 6, 3, I. II, I, II, 9. et CLARMVNDVM in *Vitis clarissimorum in re literaria uirorum* P. X. n. VIII. p. 214. Ipse denique MAIORAGIVS multa de se posteris transdidit *orationibus* VIII et X, qui A. CIOLOLVI obiit, aetatis anno XXXXI, ut certum habeo EXMAITTAIRIO T. III p. 528

10) p. VI. Fit tamen contra historiae literatae utilitatem, in qua multa parit incommoda nominum mutatio, ut MAIORAGII exemplo apud GESNERVM uidimus, ut iuste queritur MORHOF. l. c. I, I, 9, 26

§. IIII

11) p. VII. Non ergo secuti maiores suos, apud quos feruile hoc atque ignominiosum erat. uid. VOSSIVS in *instit. orator.* L. III. c. I. §. 5. de uerbis fordidis

§. V

12) p. VII. uide quae diximus 8) p. CXXVI. Quos ego ibi attuli libros, ubi nomen *Bassianas* coniunxit *Romano*, uidi ipse, ut nullum supersit dubium. Et quanquam auctores hic citatos, quia non adsunt, inspicere non licet, cum in omnibus tam fidus diligensque sit scriptor, neque nunc errasse, censendus est

13) p. VII. De hoc *αγροφω* eruditissimo, cui THYANVS exactam antiquitatis cognitionem, omnigenam eruditionem, raram eloquentiam et acre tribuit iudicium, cuiusque, e uiuis erepti, in locum, ALDI nostri filium, *Paullum*, Veneti, doctorem Academiae *Patavinae*, surrogare uolebant, (uid. *Paulli* MANVTII comment. in Lib. III. epist. I. ad Q. Fra-

Fra-



Fratrem, ) lege, sis, CLARMVNDVM I. c. P. VIII n. XVIII.  
 p. 219. *Io. Matthaeum* TOSCANVM I. c. L. III. n. CXVIII.  
 NICERON T. XXXVIII. Habemus, praeter ea, quae nota  
 sunt, nonnulla etiam BONAMICI carmina, quae statim an-  
 no, qui emortualem secutus est, post, cum *Iani* PANNONII,  
 Quinqueecclesiensis episcopi, poematibus, Venetiis,  
 MDLIII, apud *Gualterum Scottum*, quo prodierunt

14) p. VIII. Egregius ueterum imitator, illa quoque  
 in uirtute, quae non solum apud eosdem, uerum apud in-  
 genuos quosque, maxima putatur, illos secutus est. Ve-  
 terum enim more, qui nomen eius suscipiebant, a quo ma-  
 ximis erant beneficiis et constanti amore affecti, ALDVS  
 etiam *Pii* nomen asciuit. Patet uetus illa consuetudo, ex  
 manumissione, adoptione, hereditate, praecipue comme-  
 morabili EVSEBII PAMPHILI exemplo. Vid. *Io. Alberti*  
*FABRICII bibliotheca graeca* L. V. c. 4. Vol. VI p. 30. Sic  
 uero de adoptione, qua in familiam et nominis gentilitii ius  
 receptus est, ab ALBERTO PIO, ALDVS, habeto. A. MD ho-  
 nor ipsi, hic euenit; nam Sect. II. n. (ε) p. LXVII in epistola  
 MDIII data, *ab hinc triennium* nominat; in hac ipsa episto-  
 la se in posterum PII nomen adhibiturum, indicat; at  
 MDIII primum se ipse scripsit ALDVM PIVM etc. in prae-  
 fatione in DEMOSTHENEM, qui illo prodiit anno

15) p. VIII. *Ioannes* hic PICVS, a quo *Ioannem* PICVM,  
 in Senatu parisiensi classium inquisitoriarum praesidem, Saec.  
 XVI. clarum, distinguendum docet *Io. MOLLER* de *Homon.*  
 7II. quod ipsi cognomen *Pboenicis ingeniorum* POLITIANVS  
 dedit, suffragiis uniuersi literatorum ordinis conseruauit.  
 Horum nomine uerba faciat TOSCANVS I. c. L. I. n. XXXVII.  
*Qui nisi ante trigessimum quintum aetatis annum fato ademp-  
 ptus esset, habuisset Italia, cui antiqua graecia inuidere pos-  
 set.* Quanti uero ALDVS fecerit PICVM, patet ex ad ALBER-

R

TVM





TVM PIVM epistola, Libris ARISTOTELIS octo, *de physico  
 auditu* etc. cIo CCCCLXXXVII praefulta, ubi mortem eius  
 lamentatur ac deplorat: *Vtinam uiueret ille*, Ioannes PICVS,  
*auunculus tuus, quem, immatura morte raptum, semper de-*  
*stebimus. Nam sua, quamuis magna, tamen adhuc crescenti*  
*doctrina, superaret omnium fortunam.* Lege de eo plura ap.  
 BRVCKERVM in *hist. crit. philos.* T. III. P. I. p. 55. Io. FA-  
 BRICIVM in *hist. bibliotb. suae* T. III. p. 202 - 206 ubi huius  
 Ioannis et Ioannis Francisci opera, Basileae 1601 edita, et a  
 MORHOFIO Libris raris annumerata, (Polyh. T. II, 39) re-  
 censentur, in quibus ipsis, eius, per Io. Franc. PICVM, uita, elo-  
 giaque IOVII, *Leandri* ALBERTI, PONTANI, GAURICI,  
*Herc. STROZAE, MARVELLI et LATOMI*, reperiuntur. Idem  
 FABRICIVS P. III. p. 449 in ROVILLII *Promptuario iconum*  
*insigniorum a seculo hominum, subiectis eorum uitis*, erro-  
 rem, de PICO commissum, corrigit. Scribit autem p. 212:  
*Io. PICVS excessit e uita, TRIVM et triginta annorum iuuenis,*  
*eo die quo CAROLVS VIII, rex Galliae, NEAPOLIM est ingres-*  
*sus, ANNO salutis 1483. NEPOTEM habuit FRANCISCVM*  
 PICVM. At 1) *duorum et triginta annorum iuuenem mortuum*, 2)  
 eo die quo CAROLVS VIII. *Florentiam sit ingressus* 3) *anno sa-*  
*lutis 1494.* 4) *nepotem ex fratre habuisse Io. FRANCISCVM*  
 PICVM, debebat ROVILLIVS scripsisse. De utrisque agit  
 NICERON l. c. T. XXXIII. Ad notam, quod attinet,  
 ubi omissus, typosetae negligentia, numerus, *Hermolai BAR-*  
*BARI* mentionem oportet facere. De *Hermolao, TOSCANVS*  
 l. c. L. l. n. XXXIII CLARMVNDVS l. c. P. IV. n. II. p. 19  
 uideri possunt. HVETIVS *de claris interpretibus* p. m. 270 ita  
 de illo accommodate sentit: *Hermolaus BARBARVS de elegan-*  
*tia sollicitus, non tantum uerbis et characteri, quantum sen-*  
*tentiae, tribuit, et saporis illi uernaculo et αὐτοφύει, ut scripto-*  
*res ab eo conuersi, non interpretis sermone, sed natiuo loqui*  
*uidean-*



*uideantur.* Scripta eius rhetorica recenset iudicatque GIBERTVS in *iugemens sur les Rbeteurs* T. I. p. 492. Rolandus MARESIVS L. II. ep. 40 *buic, (bermolao barbaro) inquit, uni, PLINIUS plus, quam reliquis omnibus, debet.* Laudat eum etiam Io. Alb. FABRICIVS in B. G. Vol. XIII. p. 182. Vid. BRVCKER l. c. p. 26 seq. ubi tamen, perperam, *Francisci filius, cuius nepos est, dicitur*

*Franciscus* demum ab omnibus, pro meritis, celebratus est, a. 1740, cum Bresciae eius lucem uiderent epistolae, quarum recensionem habent Acta Eruditor. a. 1744. p. 250. seqq. Habet quaedam de illo BOERNERVS, uir de sacris humanisque literis immortaliter meritus, in *de doctis hominibus graecis, literar. graecar. in italia instauratoribus* p. II. et 106. Iam satis est, *nobilis* cuiusdam *Veneti* honorificum iudicium, e *praeceptis quibusdam et exemplis, ad rem militarem pertinentibus*, quae CRENIUS *tractatibus, de eruditione comparanda*, inferuit, p. 544 afferre: *Sapienter Franciscus BARBARVS, singulari prudentia et fortitudine senator, quum urbi Brixiae, contra ducem Mediolanensem defendendae, praeesset, ac contra externam uim parum tutus sibi uideretur, nisi intus omnia haberet pacata et tranquilla, summa dexteritate, et sapientia, (cuius uiuum exemplar in M. ANTONIO BARBARO, ut facultatum, ita uirtutum eius, dignissimo haerede, uidemus) Martinengorum familiam cum Auogadris reconciliauit, et serenissimae reipublicae, potentem illam, opulentissimamque urbem, durissimis temporibus conseruauit. - - in Brixia obsidione FRANCISCUS BARBARVS numquam, nisi in publico, cibum cepit, et quidem secundario pane, citra ullum obsonium, contentus; sicque ualidissimam hanc urbem - - conseruauit.* Conf. NICERON. T. XIII et XX

16) p. VIII. Vid. Sect. II. p. LXVIII. ( § ) ubi tamen haec addenda uerba, *post studeant; ac tandem, sexcentos annos, et plus eo, glandem depasti homines, uescantur frugibus.*





Nominatim hanc principis ALBERTI benignitatem, in praefatione, ad T. II. opp. ARISTOTELIS *de physico auditu*, extollit 17) p. X. Habet de ALBERTO multa FRANCISCUS GVICCIARDINVS, in *historia sui temporis*, editione latina, Caelio SECUNDO CVRIONE interprete Basil. 1566. fol. p. 263. 297, 298, 307, 310, 324, 430, 436, 542, 560. et imprimis, quo modo Carpo spoliatus sit, narrat p. 540. Est nobis quoque italica huius fidissimi auctoris editio, ex VNGERI nostri bibliotheca, per THOMAM PORCACCHI *da castiglione arretino*, in Vinegia, 1583, ubi etiam legere est, per REMIGIUM Florentinum scripta, uita huius GVICCIARDINI. Laudat hanc editionem BOSIVS de *prudencia ciuili comparanda* §. 39. coniungendasque suadet *considerationes ciuiles*, quas ad *historiam GVICCIARDINI* congescit REMIGIVS, Venetiis editas 1603. Ipsum uero GVICCIARDINVM, cuius, ni fallor, splendidam Venetiis 1739 accepimus editionem, hoc maectat elogio: THVANO, *rerum experientia, fide, prudentia, et ingenio, par, aut certe non multo minor, existimandus est GVICCIARDINVS: cumque dixisset, LIPSIVM* Not. ad I. Poliorceticorū c. VIII naeuos quosdam GVICCIARDINI notasse, addit: *Sed minores, quam ut eum numero praestantissimorum historicorum possint eximere.* Vide praeterea de illo Io. FABRICIVM l. c. T. III. p. 381. NICERON. T. XVII. MICHAEL. POCCIANTI in *Catalogo scriptorum florentinorum* p. 69. MENCKENIVM (Io. Burch.) de *Viris militia aequae ac scriptis illustribus.* TOSCANVM L. III. n. CLVIII. De *Leandro ALBERTO* uid. NICERON T. XXVI. Si IOVIO fides, annus erit 1529, quo mortuus sit ALBERTVS PIVS, quem TOSCANVS L. II. n. LXXVIII *apprime literatum insignemque Theologum* nominat, eumque ornat carmine, quod hic inferere, dum non ubiuis optimi huius principis mentio fit, hacque ratione, hic ipsius honores, memoriamque debitam, renouare, libet:

Elo-



Eloquio iuuit, doctrina, operaque fideli,  
 quattuor hic reges, Pontifices totidem.  
 Hac ope uenturos pariter iuuat ille nepotes,  
 quicumque ingenii tot monumenta legent.  
 Euentus fuit at dispar: amisit auita  
 regna PIVS, reges, pontificesque colens.  
 Sed cui uicturos semper dedit ipse libellos,  
 nomen ab aeterna posteritate feret.

Adde laudes, quas ALDVS PIO dat p. VIII \*

§. VI

Vnde uero PAVLLVS PATER, qui quondam Gymnasii  
 in patria quoque mea, unde Gedanum uocatus est, Profes-  
 foris munere clarus fuit, ALDVM *patricium* dixerit ROMA-  
 NVM in *de germaniae miraculo optimo maximo, typis litera-  
 rum, dissertatione* p. 18, merito mirandum. Nisi forte ean-  
 dem habent auctoritatem, quam quae p. 4. affert, ubi *Ioan-  
 nem Regiomontanum*, primo loco, inter artis typographicae  
 inuentores, poni uult. Audiatur potius *Iustinus DECADYVS*,  
 in epistola, *Psalterio graeco* ALDINO praemissa: Αλδος τῆ  
 πικλῆν Μανστῖος ἐκ τῆς παλαιας ῥωμῆς ἐλκων τὸ γένος

§. VII


18) p. XI. Qualis quantusque hic fuerit uir, accipi-  
 amus a TOSCANO L. I. n. XXVII: *a quo, inquit, cum gram-  
 maticorum, qui eum secuti sunt, nullus dentes abstineat, uix  
 tamen ullus, si uerum ingenue uelit fateri, absque huius ope,  
 quicquam in literis profecit* uid. quoque NICERON T. XXX

19) p. XI. Quamuis hic fileatur a uiris doctis, gloriam  
 tamen eius ad posteros propagabit, ALDVS, discipulus, in  
 quo disciplinae eius fides, praeter caeteros, eluxit

R 3

20) p.





20) p. XI. Pater GVARINVS, praeter, quae citantur in *Lex. Vniu. erud.* scripta, edidit quoque, *de ordine docendi et discendi, Erotemata cum Libanii opusculis de modo Epistol.* Agit de eo IOVIVS in *elogiis Viror. doctov.* n. C. p. 239. BOERNER V. S. V. l. c. p. 11. et 22. *Baptista*, filius, qui apud alios *Io. Baptistae* nomen habet, etiam, quae, loco modo dicto, non commemorantur, *regulas grammaticales, poëmata latina*, in publicum protulit. Imprimis autem, nostra quoque tempora, delectat ille pastor fidus, *il Pastor fido*, de quo lites eius, cum *Iasone NORRES*, EX THVANO, dum memoria dignae sunt, refert MORHOFIVS I, 7, 1, 9. p. m. 1012. Idem I, 4, 12, 9 ait: *Iac. GADDIVS refert, Io. Bapt. GVARINVM, aliquid in LVCANVM scripsisse: sed nihil uidi.* NAVDAEO in *bibliograph. polit.* c. XX n. 6, non satisfecit *baptista*; *rem*, inquit, *omnem implicat, non explicat, et Sophistarum more disputat, non docet.* Vtrosque uero TOSCANVS L. I. n. XVIII posteritati commendauit ita: *rem literariam non leuiter iuuerunt, cum in semibarbarum Seculum incidissent, quo tamen bonis artibus lux aliqua tum primum affulserat.* Huius NICERON T. XXV, patris, T. XXVIII uitam describit. De nomine *Guarini* uide *Iouianum PONTANVM* L. I. de adspiratione p. 1001


21) p. XII. uid. Sect. II. p. LXXIII. unde, ipso ALDO teste, apparet, illis potissimum temporibus, quo uixerit, praecipue graecarum literarum studium, in Italia, uiguisse. Sumta illa sunt ex epistola, *Aristotelis Organo* a. 1495, praefixa. Non tamen actum, puto, agam, si reperiero, dum non plena l. c. leguntur. *Necessariam*, inquit ALDVS, *esse graecarum literarum cognitionem hominibus nostris, ita iam omnes existimant, ut non modo adolescentuli, quorum iam maximus numerus, uerum et senes aetate nostra graece condiscant.* *Olim apud Romanos CATONEM unum, accepimus, didicisse grae-*



graecas literas in senectute; nostris uero temporibus, multos licet uidere Catones, hoc est, senes, in senectute graece discere. Nam adolescentulorum ac iuuenum, graecis incumbentium literis, iam tantus fere est numerus, quantus eorum, qui Latinis. Et propterea libri graeci uebementer ab omnibus inquiruntur; quorum quia mira paucitas est, ego, adiuuante CHRISTO IESU, spero, me breui effecturum, ut consulam tantae inopiae; nec tamen sine meo magno incommodo, et labore, et iactura temporis. Sed succurrendum est studiosis bonarum literarum. Et quamquam incidimus in turbulenta tempora, et tumultuosa ac misera, quibus magis arma quam libri tractantur, tamen, nisi facta bonorum librorum copia, non conquiescam. Hac de causa eo ardentius ipse his graecis literis fuit deditus, in quibus, quantos fecerit progressus, ex eius scriptis §. XXIII patebit. IUSTINVS DECADYVS, in epistola graeca, quam Psalterio graeco ab ALDO edito, ad ciues suos, praemuniit, et legere est ap. MAITTAIR. T. I. edit. I. p. 238. ipsum Φιλέλληνα uocat, quod cognomen ipse suo nomini addere solebat u. c. in *Aristotelis libris octo de physico auditu* etc. 1497 editis, ubi ita ad calcem legitur: εγραφη εν Ενετιαις, - εν οικια ΑΛΔΟΥ του Μανστis, ρωμαis και Φιλελληνος. Immo, in primo a se edito libello, poematio MVSÆI de *Herone et Leandro*, iam Φιλέλληνα se appellauit. uid. *Maitt.* T. I. edit. I. 234

22) p. XII. Nihil alibi, nisi in illa, quam auctor citat, apud POLITIANVM, epistola ALDI, exhibita, una cum responsione POLITIANI, ap. MAITTAIRIVM T. I. p. 67, 68. de *Emanuele Adramytteno Cretensi*, occurrit. Vt, quam inde potest, cognoscatur *Cretensis*, quae huc faciunt, excerpam. ALDI haec sunt uerba: EMANVEL ADRAMYTTEVS, familiarissimus meus, tuam mihi graecam, quam ad se dederas, ostendit epistolam, ornate quidem et docte atque copiose scriptam:





*scriptam: cuius - - interitu ita quidem moueor, ut, multis annis, grauius nihil et molestius tulerim. Erat enim homo, et moribus apprime ornatus, et graecis literis quam doctus, meique amantiſſimus. Non possum igitur non moerere, tali amico orbatuſ, quamquam meo magis ipsius incommodo, quam illius. Nam illi ad superos facillimum fuisse cursum, quoniam et bene, et beate semper uixit, non sum nescius. POLITIANVS uero iocose haec perscripsit: facit, ut - - mihi faueam, nonnihil Emanuel ipse Adramyttenus, qui respondens, ita prorsus ultra modum laudauit, ut, omnibus meis graecis, - - non dubitauerit anteferre. . . Quare placerem profecto mihi graeci hominis testimonio, nisi CRETENSIS fuisset EMANVEL. Etenim hoc genus, ut mendaces, notauit EPIMENIDES: qui tamen et ipse cretensis, ut mentiri non minus potuerit; ideoque non mendaces. Vides hunc Dialectorum Ψευδομενον. Mibi tamen, extra iocum, ueros esse omnino cretenses libet.*

23) p. XII. Optimum Magistrum! cuius discipuli, ipsi doctissimi, post eius obitum, ita recordantur, ut Iac BERENGARIUS, Carpenſis, Chirurgiae in Gymn. Bononiensi doctor, ad ALBERTVM PIVM, in dedicationis epistola: *Isagoges Anatomies suae: Nulla obliuio delere potuit, quam plurima studia et honestissima, quae tecum, in mansuetiorum rudimentis, sub felici memoria ALDI MANVTII ROMANI, praeceptoris nostri, conferebam.* WOLFIVS in monumentis Typogr. T. II. p. 371


24) p. XII. De hoc, raro naturae miraculo, ut, in *Ciceroniano*, ab ERASMO dicitur, uero nomine *Iean Petit*, Ioanne paruo, appellato, ut in *Naudaeanis* et *Patinianis* p. m. 195 obseruatur, conferri possunt BOERNERVS l. c. p. 127, 140, 147, 168, 182, 216. CLARMVNDVS, l. c. T. III. n. XVI p. 163. et TOSCANVS l. c. L. I. n. XXXVI, qui, cuius,



ius, inquit, *eruditionem, uno uerbo abunde commendabimus, si neminem literatorum Laurentio MEDICI gratiorem fuisse, quam POLITIANVM, asseramus.* Fuit ex illis *Angelus noster BASSO, qui aduersus Paullum CORTESIUM, unum CICE- RONEM imitandum esse, feruide contendentem, uariorum probarit ueterum imitationem, sententiae suae adstipulante Francisco PICO: cuius rei historiam uide in Ioannis Thomae FREIGH orationibus, SCALIGERI epistolis et orationibus, Hanouiae 1603. 12mo, subiunctis p. 461. seq. CRENIVS in consiliis et methodis aureis studiorum optime instituendorum p. 623. ex aliis refert, POLITIANVM epigramma aliquod graece composuisse, in Cupidinis aut praeposterae Veneris laudem, ne scilicet reditus Canonicis dictos, (erat enim Canonicus Florentinus) nisi in sacra elaboranda, impenderet. Neque uero ob haec talia, morumque improborum aut profanorum causa, inter Atheos, ut quidam uolunt, referendus POLITIANVS, quos, recte, aliud docuit BVDDEVS, in thesibus theologicis de Atheismo et superstitione Cap. I §. XXIV. p. 143. Sufficiant iam ALDI in POLITIANVM laudes, eo praestantiores, quod ab homine proficiscuntur ingenuo. Effundit illas ad Marinum SANNVTVM, Leonardi filium, epistola, operibus Politiani, 1498 adiecta: *Angeli Politiani, summo uiri ingenio, et singulari doctrina lucubrationum . . . ut editionem accelevem, hortari non desinis, quod summi ingenii labores, praestanti ipse ingenio, legere concupiscas . . . Est igitur dignissimus uenia Politianus noster, si quid in eius scriptis deprehendetur uitii: quandoquidem emendaturus, si licuisset, erat: immo, si annos suos uixisset, et Leges ex Pandectis, quae olim Pisanae fuerunt, in pristinam, quod coeperat facere, lectionem restituisset, commentariosque in illas, quod praedicabat, non**

S barba.





barbare, sed more Romano et doctissime, confecisset. \* Coepert etiam . . . pollicebatur quoque - o immaturam et crudelē mortem, quae maxime saeuit in summa ingenia! O iacturam semper dolendam! Quam multa uir ille, scitu dignissima, posteris reliquisset, quae fortasse numquam scientur. Et iisdem in operibus, ante graeca POLITIANI epigrammata, hanc Zenobius ACCIOLVS scripsit epistolam: In epigrammatibus, in quibus Latini paulummodo mussitantes gloriari solemus, . . . uel illis, quae in ambulanti etiam, aut coenanti, ueluti repentino calore, fusa ipsi scimus, . . . eo studio ac diligentia processit, ut horum permulta pene uerba conscripserit, in quibus tamen ipsis, (ut mihi quidem uidetur,) eiusmodi multa sunt, quorum, si facilitatem ac copiam reputaris, magni quidem ingenii Politianum, sed et multae lectionis fuisse, ostendant, planeque indicent, quantum uir ille operae pretium facere potuerit, si perficere, quae cogitabat, per importunum obitum licuisset: ut quod effecit, laude dignissimus, quod non potuit, uenia ac commiseratione censendus erit. Vid. MAITTAIR. T. I. p. 86. Conferat, qui laudatum legi cupit POLITIANVM, H VETIVM de claris interpretibus, p. m. 267. MAIANSIUM, decus illud totius hispanicae gentis, in epistolis, praefat. p. XII. MORHOFIVM l. c. T. I, L. I. c. XXIII, 30, p. m. 277 seqq.

## §. VIII


\* Quae dum a uitiis typographicis purgo, inter legendum, obtulit se mihi locus, huc maxime pertinens, ut non possim non illum hic apponere. Extat ille, apud Ioannem CORASIVM, Ictum Tolosatem, Ianiensis parisiensis sacrificium, in Miscellan. Iuris Ciuil. L. III. c. XVI, n. I. p. m. 269. ANGE-LVS, inquit, POLITIANVS, uir graece latineque impense doctus, et inter auctores Latinos non postremi nominis, cum in glossenatis Iuris Ciuilis SENIS (Friderici, a patria, de Senis appellati, Baldi praeceptoris) iactaret, se, uel Accursium, superare posse, rogatus a Mariano Socino, Icto uetatis suae doctissimo, quisnam in iure ciuili suus haeres diceretur, parum feliciter obmutuit



## §. VIII

25) p. XII. Hoc tamen scimus, ALDVM, uel absen-  
tem, de artibus discendis, PIO dedisse consilia. Ita enim in  
epistola, qua huic *Aristotelis Libros VIII de historia* etc.  
1497 dedicauit, scribit: *Quod si hos - cum iis conferes, quos  
miro successu Theodorus Gaza, . . . fecit latinos, breui  
quantum profeceris, non poenitebit. Ibi enim utriusque lin-  
guae proprietatem licet cognoscere, quod et nobis et graecis est  
apprime necessarium. Nullus est (crede mihi) graecus liber,  
in quo facilius disci graeca lingua possit, ab hominibus nostris,  
praeter Theodorum. Sic graece didicit Hermolaus Barba-  
rus, sic Picus Mirandula, auunculus tuus, sic Hieronymus  
Donatus, sic Angelus Politianus, summo uiri iudicio, summo  
ingenio, ac undecunque doctissimi; Sic denique quicumque grae-  
cas literas callet temporibus nostris. Idem et tibi, mi Alberte,  
censeo faciendum, ut, cum et tu non mediocri sis ingenio, iis,  
quos praedixi, et eloquio par fias, et scientia. . . Mait-  
taire T. I. p. 77. Illud etiam huic institutioni ALDI debe-  
mus consilium, quod, usu edoctus, omnibus magistris, in tra-  
dendis literis obseruandum, certissimum, deinde dedit, quod,  
quiuis sibi de meliori commendatum haberet nota, dignissi-  
mum, ut ex epistola, ARISTOTELIS *physicis* a. 1497 praefixa,  
et repetita ap. *Maitt.* T. I. p. 66. huic libello inferatur: *Al-  
terum est, (affatur magistros) quod meminisse uos uelim, ne  
quid, nisi doctissimorum auctorum, ediscere cogatis adolescen-  
tulos; immo ne grammaticas quidem regulas, ni compendia  
quaedam breuissima, quae teneri facile memoria queant.  
Laudo eos ediscere, sed tantum ut illas assidue, accurateque  
legant, nominaque et uerba declinare optime sciant. Nam  
dum lucubrationes nostras, uel carmine, uel prosa oratione,  
etiam de arte, commendare memoriae eos cogimus, erramus,  
ut mihi quidem uidetur, multis modis. Primum, quod quae**





*summo labore edidicerunt, dediscunt paucis diebus; quod ego et puer olim, et iuuenis, compositis etiam a me regulis, sum saepe expertus. Nam cum generum regulas, praeteritorum, ue summa cura memoriae mandassem, perbreui obliuiscabar. Idem ceteris quoque euenire existimo. Praeterea difficultate, tum materiae, tum styli, eo desperationis ueniunt, ut et scholas et literas fugiant, et studia, quae amare nondum possunt, maxime oderint. Tum eo ipso tempore, quo nostra ediscunt, facilius, meliusque, uel CICERONIS aliquid, uel VIRGILII, aliorumue illustrium possent ediscere, olim et decori, et commodo illis non mediocri futurum. Equidem puero mihi, cum ALEXANDRI carmen ineptum, de arte grammatica, praepatore cogente, memoriae mandabam, non ita contigisse, plurimum doleo. Addite, quod cum incultos et barbaros discimus, tales, ac potius incultiores et ipsi euadimus. Solemus enim iis, quos imitamur, plerumque esse deteriores. Quapropter optimos, et statim, et semper, legendos putat QUINTILIANVS, atque eorum candidissimum quemque, et maxime expolitum. Tum de CICERONE sic inquit: „Cicero, (ut mihi quidem uidetur,) et iucundus incipientibus quoque, et apertus est, satis: nec prodesse tantum, sed etiam amari potest: tum, quem admodum PLINIVS praecipit, ut quisque erit CICERONI similis. „ Haec cum legerem, TV mihi in mentem ueniebas, illustris GESNERE, praesidis, in Societate Regia Goettingensi scientiarum, munere, quod nuper Rex Augustissimus, GEORGIVS, Musarumque et TVVS Maecenas MVENCHHVSIVS, TIBI conferre uoluit, illustrior, mihi que, eius Societatis Amico, eo magis suspiciende, nisi uel necessitatis, quod intercedit, uinculum, id requireret, quo TVM hospitium liberalius me aluit, quo magis colloquia semper fuerunt frugifera, quo praestantius uita, quantum doctrinae, tantum uirtutum omnium, praebuit exemplum. Namque TV eandem, proximam,*

et




et quasi compendiarium, ad styli latini munditiam, uiam ingressus, loquendo scribendoque, quasi per ludum, Romanum sermonem efficis plenior, eiusque facultatis manifestum das documentum, in filio eruditissimo, ac filia, neptique, cum ipsis Gratiis humanitate certantibus. Proinde quoties de literis cogito, toties de TE, summa, qua par est, obseruantia, soleo cogitare, qui ad eas colendas princeps mihi extitisti

26) p. XIII. Maximum momentum in uita ALDI, a nobis hic, paucis, expediendum erit. Conf. Sect. II. p. LXVIII seqq. ubi tamen maxime erratur. *Petrus SCRIVERIVS* a. 1490 initium, librorum Aldinorum ponit, itemque *NAVDÆVS*, apud *WOLFIVM* l. c. T. I. p. 370 et 507. Meo quidem iudicio, non errant: nam quamquam *MAITTAIRI* (uide p. LXX) explicatio satis bona est, ego tamen meliorem sic me daturum existimo, eum, si dicam, Libris primis, ab a. 1490 a se editis, nomen suum non addidisse, hominem tum temporis, pauperem, et ignoto genere natum, quemadmodum *ERASMVS* in *Colloquiis: SORDIDA OPVLENTIA*, ipsi exprobrauit. *MALLINKROT* omnes lites forte euitare uoluit, cum, nimis generaliter, dicit: *ante annum 1500* libros excudisse *ALDVM*. *MENTELIVS* uero, duplici modo errat, dum, 1) *floruit*, inquit, *ALDVS* a. 1481 2) non librum inspexit, ex quo probari posset, quando publice, sub *ALDI* nomine, libri prodierint impressi, siquidem *Cornu copiae*, unde firmat suam sententiam, a. 1486, comparuisse, ait, quod 1496 publici factum est iuris. uid. *WOLFIVS* l. c. T. I. p. 733 et II. p. 373. Plane uero non audiendus *LICIMANDER* apud eundem *WOLFIVM* T. II. p. 599 qui, *ALDVM*, refert, *MANVTIVM*, *uirum doctissimum Venetiis, anno 1506, primum officinam typographicam instruxisse* etc.

Missis incerta faciamus, num et in quibus officina AL-





DI ante a. 1494 fuerit uersata. Certius est a. 1494 primum edidisse librum, cui nomen suum subscripserit. Est hic, de *Maittairii* sententia, *Poëmation* MVSÆI de HERONE et LEANDRO, per ALDVM MANVTIVM 4to. Venet. - - Quod si dubitas, num, primum esse hunc libellum, probari possit, hunc scrupulum facile *Maittairius* tolli putat, si epistola, ab ALDO praemissa, legatur. Incipit illa:

Αλδος ο ρωμαιος τοις σπαρδαίοις ευπραττειν  
Μυσαιον τον παλαιοτατον ποιητην ηθελησα προσομιαζειν τωτε Αριστο-  
τελει και των σοφων τοις ετεροις αυτικα δι εμυ εντυπησομενοις εις.

ARISTOTELIS autem uolumen primum, Organon, anno 1495. emissum est. Mihi tamen multae adhuc dubitandi supersunt rationes, ne primum MVSÆVM pronuntiem ab ALDO euulgatum librum, ut, si quis *Psalterium graecum* primo loco poni uelit, non habeam rationes, propter quas id denegem. Potius probabile mihi uidetur ideo, quod ab ALDO, religionem, in tot praefationibus, maiorem solito, prae se ferente, etiam a libro sacro initium factum fuisse, non alienum uidetur, quandoquidem, postquam *primum* in epistola hic, a *Iustino* DECADYO praemissa, a graeco igitur uiro ipso, publice ΦΙΛΕΛΛΗΝ uocatus est, *deinde* demum se, in MVSÆI *poëmatio*, ipsum quoque dixit ΦΙΛΕΛΛΗΝΑ; denique, cum in reliquis libris, ab ALDO editis, semper et nomen *Aldi*, et annus impressionis ponatur, (nam scio, apud quosdam etiam MVSÆI *poëmation* anno 1494 notatum esse) non caussa uidetur, cur in hoc *Psalterio*, si non primus fuerit liber, solo, omissa sint. Sine dubio ergo, *Psalterium*, primo loco ponendum, mihi quidem uidetur, MVSÆVS contra, uel post *Lascaris* grammaticam; quam, mense iam *Februario* a. 1494 subscripsit ALDVS: et *praeludium summis suis laboribus* GENERATIM appellari, MVSÆVM uero SPECIATIM *praeludium Aristotelis libris* dici, quibus tamen HESIODVS, muta-



mutato forte confilio, adhuc praeiuit, mihi probabile quam maxime est. Psalterii totus titulus legitur T. I. P. I. L. I. C., III. Sect. II. p. 9 Catalogi Bibliothecae BUNAVIANAE, quae illustrissimi Comitis, Musagetae indulgentissimi, gloriam, ueris doctrinae ornamentis illustratam, amplificat magnopere. Sed ut lectissimus hic thesaurus, aliis quoque profit, iussu domini sui, nititur assidue doctissimus *Io. Mich. FRANCKIUS*, cui, pro nauata mihi opera, in scriptorum ALDI Catalogo explendo, gratias publice ago. Iam accipe titulum: ΨΑΛΤΗΡΙΟΝ, *Venetis in aedibus Aldi Manutii*. In fine legitur: *απαντα τετραδοια πλην του εκεινο γαρ τριαδοιον. ΕργαΦη εν Ενετιαις εν οικια Αλδου τς Μανυτις. conf. MAIT. T. I. p. 70. et 74.* qui tamen, quid sibi uoluerit, nescio, cum T. I. edit. I. p. 237. dixit: *ALDVS, postquam in AESOPI fabulis praelusisset, item: Characteres - - quibus in Psalterio, AESOPO, Aristotele - - usus est, - - ubi opus AESOPI inter primos ALDI labores, loco poematii MVSAEI, ponere uidetur.* Quod secutus, FABRICIUS B. G. Vol. XIII p. 609. scribit; *priorem fabularum Aesopi editionem dederat ALDVS, ante annum 1496.* Dauentriae quidem, hoc anno, *fabulae Aesopi*, carmine latino, auctore incerto, 4to prodire, sed ALDVS, nonnisi 1505. *Aesopi* atque *Gabrae* fabulas, cum aliis, (uid. Sect. III. n. LXIII p. CVI) publicae luci exposuit. Hinc ipse MAITTAIRIUS T. I. edit. II. p. 73. errorem suum correxit, loco priorum a nobis citatorum, sic scribens: *ALDVS postquam in MVSAEI poematio - : praelusisset, et p. 74. characteres - - quibus in Psalterio, Musaeo, Lascaris erotematibus etc. usus est*

De *Psalterio graeco* plura, quam apud MAITTAIRIUM, legi possunt, in FABRICII B. G. Vol. XII. p. 610, 611

Hoc *Psalterium graecum*, deinceps hi libri secuti sunt: *CONSTANTINI LASCARIS erotemata* 1494. Sect. III, n. I. de quibus

bus





bus postea dicitur: MVSÆI item *poëmarion*. Iam 1495. *Theodori GAZÆ grammatices* L. III. etc. ibid. p. LXXXIII. n. III. *Petri BEMBI dialogus de Aetna* ibid. n. VI. HESIODVS, THEOCRITVS etc. p. LXXXIII n. III. *Alphabetum graecum* p. LXXXII. *Organon ARISTOTELIS*. p. LXXXIII. n. V. Deinde, ut sequuntur, p. LXXXIII, VII. seqq. Ita iam, quae VNGERVS attulit, emendata erunt, quamquam ipse, aliquam partem, in Catalogo, sectione III, sententiam mutauit, primo loco LASCARIS *grammaticam* ponens

27) p. X. Numerum hic romanum (qui utrinque uncis includi debebat) apposui ego, cum auctor, *eodem anno*, posuisset, tum, quia et ipse aliud in *Catalogo* docuit, tum, quia res ipsa quoque id postulabat: sicut p. VIII. positum erat 1595, errore tamen calami tantum, quod itidem corrigi a nobis debuit. De *grammatica* hac ipsa, ad Sect. III. n. I. dicendum erit. De *Constantino* modo LASCARE legendum adeas *Io. Alb. FABRICIVM* in B. G. Vol. VII. p. 39. et BOERNERVM l. c. p. 171 - 175. ubi etiam p. 199. 217. de *Ioanne LASCARE*, qui *Ianus* quoque, GESNERO uero *Io. Andreas* dicitur, agit, simulque ZELTNERVM in *Centuria correctorum in typographiis eruditorum* emendat. *Erasmi* laudes in hunc *Ioannem*, operae pretium est audire: *latinae*, inquit, *linguae, admiraculum doctus*, (MVSVRVS) *quod uix ulli graeco, praeter Theodorum Gazam, et IOANNEM LASCAREM, contigit.* Agit etiam de illo MORHOFIVS l. c. I, III, VI, 4. p. m. 777. CHEVILLERIVS p. 194. FABRICIVS in B. G. Vol. X. p. 519. XI, p. 47. HVETIVS *de clavis interpret.* p. m. 142, 295. Filius *Ioannis* est *Angelus Lascaris*, BOERNER l. c. p. 207, 210. Est etiam alius *Ioannis Lascaris, Iani*, ex forore, nepos, BOERNER p. 200

28) p. XV. Minus plene, memorandus hic apud GESNERVM




NERVM locus, in nota subiecta, affertur. Vnde, cum in primis graecus uersus animaduerti debeat:

ως ηγ' αμφιπολοισι μετεκρεπε παρθενος αδυνης,

ad ALDVM accommodatus, qui inter illos egregios, ex HOMERI οδυσσ. ζ, 102 - 109. citatos, ubi NAVSICAA cum DIANA comparatur, quosque VIRGILIUS, non adeo feliciter, *Aeneid.* L. I. 502. seqq. in *Didonem* imitatus uidetur, ultimus est, totum illum GESNERI locum, ex *Pandectarum* L. XI. de *Geographia*, ad PAVLLVM MANVTIVM, dedicatione, p. 107. huc apponamus:

Non exigua, sed humana laus est, egregiam, et utilem uitae mortalium, artem exercere: prae ceteris, in ea pollere, diuinum quiddam. Nam cum D. O. M. summum et excellentissimum bonum sit, in quauis re bona, honesta, utili, eminere, diuinum iudico; rursus, in una aliqua parte, reliquis praestare suis. homotechnis, res humanae conditionis, neque sua laude non digna est: per omnia uero primas obtinere, ut supra hominis sortem est, ita maximam omnium laudem meretur. Sed quorsum euado? Ad Clarissimum, felicis memoriae uirum, ALDVM MANVTIVM, piissimum patrem tuum, qui primus orbi terrarum, optimos quosque in utraque lingua libros, et unus plurimos, eosque castigatissime, et solus, omnium pulcherrime, typis suis, excudit. Immortalis haec eius industria, immortale beneficium, cum tota studiorum aetate florebit, nec prius, quam ipsa studia, quod ne umquam fiat, DEUS auertat, aboleri poterit. Hamadryades, cum arboribus suis, si libet poetis credere, nascuntur et pereunt: sic Manutiae familiae decus, cum renascentibus studiis ortum, quam diu philosophia stabit, numquam uiuere desinet:





οιη δ' Αρτεμις εἰσι κατ' ἄρεος ἰοχαιρα,  
 η κατα τήνυγετον περιμηκετον, η Ερμυανθον,  
 τερπομενη καρποισι και ωκειης ελαφοισι.  
 τη δε θ' αμα Νυμφαι, κηραι Διος αιγιοχοιο,  
 αργονομοι παιζουσι. γεγηθε δε τε Φρενα Λητω.  
 πασαων δ' υπερ ηγε κρη εχει ηδε μετωπα,  
 ρεια δ' αριγνωτη πελεται, καλαι δε τε πασαι.  
 ως μαλα χαλκογραφοισι μεταπρεπει εξοχος ΑΛΔΟΣ.

*Exemplaria graeca etc. uid. p. XV \* et n. 41*

§. VIII

29) p. XV. Dicat pro patre filius PAVLLVS, loco e Mentelii *observationibus* a WOLFIO c. l. T. II. p. 374. laudato, uelle iam homines quosdam patris merita sui, in edendis accuratis ueterum operibus, diminuere: *Quodque, inquit, magis doleo, Gallis acceptum referre mallent; de Germanis nihil dicam, qui ut ueterum libros ediderunt, multum et optime de studiosis meriti sunt; certe patri meo numquam in hoc genere, uidebuntur comparandi.* conf. §. XVI. Hinc, BERGERVS, cuius iacturam Vitemberga uix ac ne uix quidem obliuiscetur, Aldinas editiones codicibus aequiparari, censuit, quod, sine corruptela Criticorum audaci, ad fidem codicum, expressae sint, magnopere, ut memini me narratum audisse, gaudens, cum casu quodam, magnam earum copiam, paruo emeret

30) p. XVI. Vide de hoc, ut paullo ante *Erasmmum* dicentem audiuius, *latinae linguae ad miraculum docto*, BOERNERVM l. c. p. 219. ad finem, et *Io. Conr. ZELTNER*. l. c. p. 376

31) p.



31) p. XVI. Magno ALDVS noster encomio laudat Britannos, cum *Procli Spbaerae*, quam cum *Iulii Firmici Astro-nomicor.* Libris 1499. edidit, et *Linacri* dedicationem, ad ARCTVRVM, principem, et *Grocini* epistolam, ad se datam, subiungeret, epistolam ad ALBERTVM PIVM scribens, ubi ita, *dabit*, inquit, LINACRVS et *alios libros, ut ex eadem Britannia, unde olim barbarae et indoctae literae, ad nos profectae, italiam occuparunt, et adhuc arces tenent, latine et docte loquentes, bonas artes, accipiamus, ac, Britannis, adiutoribus, fugata barbarie, arces nostras recipiamus, ut eadem basta sanetur, a qua illatum est, vulnus.* Horum ego latinitatem et eloquentiam admiratus, Guilielmi Grocini - - quam ad me, doctam et elegantem, dedit epistolam, subiungere placuit, ut pudeat philosophos nostros, barbare et inepte scribere, aemulatique britannos, non dico, grandaeui, γεροντιον γαρ ψιπτακος αμελει σκυταλην, sed ceteri omnes, latine et docte philosophentur. De Guilielmo Grocino, quem numquam, ut semper VNGERVVS facit, *Crocinum* appellatum scio, quemque *Lex. erud. Vniuers.* *Grocinium* nominat, primo in Academia Oxoniensi graecarum literarum doctore, eundem ALDVM testem eruditionis huius uiri, adducam, cum hic uere dixeris: *laudari abs te, laudato uiro, illa uera laus est.* In eadem, unde de Britannis ante dicta, epistola, uirum, GROCINVM appellat, *graece, et nedum latine, peritissimum, atque undecunque doctissimum.* Familiariter eo usus *Erasmus* scribit: *se Grocinum ex animo uenerari;* itemque ad *Latimerum*: *Grocinus primum in Anglia graecae linguae rudimenta didicit. Post, in Italiam profectus, audiuit summos uiros; sed interim lucro fuit illa prius a qualibuscunque didicisse.* Idem ERASMVVS illum et αγραΦον fuisse nobis narrat, et anno plus minus 1519, 1520. obiisse diem supremum. *Grocinus, inquit, haud multo post Coletum, (qui d. 16. Sept. 1519.*





uita exiit, et cuius uitam, plaudentibus omnibus, KNIGHTIVS dedit) *periit, praeter Theologiae professionem, in omni genere disciplinarum, usque ad morositatem, exacte uersatus. Is tamen, ut ad multam uixit aetatem, ita nil scriptum reliquit.* Eo magis gaudeamus, ALDVM, epistolam GROCIINI, ad se datam, libro supra dicto, inferuisse. MAITTAIR. T. I. p. 90, 91. Alter, e Britannis laudatis, prodeat in conspectum nostrum, *Thomas Linacer*, ALBERTO PIO summa familiaritate iunctus, cui libelli, quem PROCLUS de sphaera edidit, conuersio noua, non optime cessit, licet, ipso *Erasmo* teste, *exactius* priori transtulerit. Dedicarat enim illam ARCTURO, *Cornubiae Valliaeque* principi. At, (inquit *Erasmus*) *Andreas quidam Tolosates, praeceptor Arcturi, principis, et in regnum paternum successuri, nisi mors anteuertisset, caecus adulator, nec adulator tantum, sed et delator pessimus, regem admonuit, hoc libelli iam olim fuisse uersum, a nescio quo, et erat, sed misere. Hanc ob causam rex et munus aspernatus est, et in Linacrum, uelut in impostorem, inexpiabile concepit odium.* uid. MAITTAIR. T. I. p. 89. FABRIC. *Bibl. Gr.* Vol. VIII. p. 519. Non haec meruit *Linacrus*, interpres excellentissimus, quem, *inter Anglos*, HVETIVS *de interpr.* p. m. 288. *omnium primum, propter insignia in rem literariam beneficia, adit, quo nemo maiorem orationis nitorem, castitatem et condecentiam, ad interpretationes contulit; quarum uirtutum integritatem, dum diligentius tueri studet, fidelem uerborum assertionem, raro quidem, at aliquando tamen, omisit.* Ad HVETII accedit sententiam *Iac. Pbilip. BERGOMENSIS*, qui in *Cbron. supplem.* ad. a. 1535. p. 435, *LINACER*, inquit, *literarum interpres; cuius uersionis extant permulta Galeni opera, accuratissime quidem conuersa.* Ad eius causam NICERON. T. III. et X. *WOODI Athenas Oxonienses* T. II. p. 17. seqq. eiusque epitaphium, si uis, lege in *KNIGHTII*  
*uita*



*uita Erasmi*, in appendice p. 23. *Libros III. quos de emendata structura latini Sermonis* edidit, obseruat MORHOFFVS c. T. I. L. IV. c. X, p. m. 834, *repetitis identidem editionibus procusos; maximopere enim uiris doctis superioris seculi commendari*, de quibus, VIVIS, ERASMI et Mich. NEANDRI elogia adducit

Supereft *Demetrius Chalcondyles*, cuius imaginem, ab ERASMO expressam, contemplari, non ingratum erit: *patria CHALCONDYLES, inquit, Byzantinus, Florentiam delatus est - tum discessit Venetias, ibidemque apud ALDVM, graecos codices, sub prelo sudantes, diu correxit. - Id tamen factum est, non antequam princeps Florentiae obierat. - Posthaec Mediolanum, a Ludouico Sfortia accersitus, una cum uxore et liberis, eo commigravit, ac non multo post, Grammaticae suae rudimenta luci publicae exposuit. Eius filia Iano Parrhasio in matrimonium concessa est. - Octogenario maior Mediolani spiritum exhalauit. Vid. Zeltner. l. c. p. 154 seqq. Discipulis eius, qui notissimi sunt, uti Latimero, Linacro, Grocino, addendi sunt, Bernardinus Nerlius, Stephanus Niger, Antonius Motta, Ioannes Maria Cataneus, qui singuli quid de suo senserint praeceptore, nobis expromant. Nerlius in epistola ad Petrum Medicem, Laurentii filium, qua Homerum Florentiae 1488, editum, et praefulta Chalcondyles epistola graeca, ornatum, cum Nerlii epistola apud Maittair. T. I. p. 50, 51. legenda, dicauit, ita de illo uerba facit: *Id inprimis mihi opportunum fuit, quod, ad graecos libros imprimendos, Demetrium Chalcondylem naetus eram, uirum* - -*

T 3

tem-

\* obseruat hic quidem MAITTAIRIVS T. I p. III, BVLLARTVM in *Academ. des Sciences* illum *Atheniensem* dicere, et addit: *forfan Athenis natus Byzantium concessit* etc. sed quod tantum suspicatus est, uerum demonstrat BOERNER l. c. p. 180, ubi et seqq. de *Chalcondyle* agit, simulque eius imaginem, quam elegantissime aeri incisam, exhibet





tempestate nostra doctissimum, praeceptoremque meum, quo  
 huiusmodi opus accuratissime recognosci posset. Itaque ex il-  
 lius consilio Homerum - - elegi, qui quidem ob incuriam - -  
 ita sui dissimilis erat, ut in nullo fere codice - - integer cogno-  
 sceretur. Quam ob rem eruditissimi sane uiri opera, qualenz  
 Demetrium nactus est, summopere indigebat; qui - ipsa  
 Homeri opera, singulari diligentia, summoque studio, cum  
 Eustathii commentariis conferens, examinavit et emendavit;  
 cuius quidem uiri diligentiam, aut nihil arbitror praeteriisse,  
 aut si qua praeteriisse uidebuntur, ea certe, uel dubia quae-  
 dam sunt eiusmodi, ut ea, in tali tantoque opere, iustus ae-  
 quusque rerum aestimator, non magni faciat. Pari fertur  
 pietate in Magistrum Niger, qua ductus, inter quatuor, inquit,  
 uiros, qui, inter utriusque literaturae peritissimos, principatum  
 facile obtinent, Demetrium scilicet Chalcondylem, Ioan-  
 nem Lascarem, Marcum Musurum Cretem, Aldum Roma-  
 num, Demetrium tamen Chalcondylem, ceteris, cum aeta-  
 te ac rerum usu, tum uel maxime doctrinarum orbe, praefero. -  
 Quid mihi Demetrii humanitatem memoras? quem omnes,  
 tam Latini, quam graeci, qui eius consuetudine usi sunt, hu-  
 manissimum, doctissimum, prudentissimum, continentissimumque  
 praedicare numquam desistunt? Nonne Stephanus Niger,  
 praeceptor noster, qui ei tot annos assiduam operam dedit, qui-  
 que semper inter intimos eius familiares extitit, tantam ait  
 esse Demetrii integritatem, tantam eruditionem, tantam  
 frugalitatem, tam candidos mores, ut, aetatis nostrae morta-  
 lium, nemini, postponendus uideatur. Neque MOTTAM ca-  
 nentem audire pigebit:

*Demetri,* aeternos debet tibi mundus honores,  
 quod dignum, quod tam nobile tradis opus:

debet



debet *Motta* magis, caro cui tanta resultat  
gloria discipulo, te duce quanta datur.

Agmen denique claudat *Ioannes Maria Cataneus*, qui, *DEMETRIUS CHALCONDYLES*, inquit, *Atticae facundiae princeps, praeceptor meus*. - praeter conditionem et aetatem suam, pluribus, multoties collatis, exemplaribus, emendandum, et renouandum Suidam aggreditur, tanto studio et diligentia usus, ut obscura detexerit, inuersa correxerit, manca suppleuerit, et ut demum, quod sentio, dicam, in illo expoliendo, auctorem ipsum superauerit. uid. MAITTAIR. T. I. p. 50, 93, ubi etiam p. 94. *Chalcondylae* epistola graeca, *Lexico Suidae* addita, et *Ioannis Salandi* latini ad *Chalcondylam* uersus legi possunt

32) p. XVI. Intelligit *ALDVS* libri primi capita in *Valerio Maximo*, a *Cuspiniano* primum restituta; uid. *Fabricius* B. L. II. p. 455. *VALLAM* uero liberauit hoc crimine *BARTHIVS*, in epistola ad *DAVMIVM*, quam excerptam dedit *STRVVIVS*, in *Actis literariis fasc. VI* p. 61 seq. *Tantum*, inquit *BARTHIVS*, *Vallae* elegantis superior aetas tribuit, ut non defuerint, qui asserere, licet stolide et αλογοως, non dubitarint, *Asconii Paediani opus, esse a Valla inuentum, suoque nomine diuulgatum, ut scribit MARIANGELVS ACCVRSIVS* in *Tetradine*, *Diatribis suis, Ausonianis, Ouidianis et Solinianis, adnexa*. Ceterum desiderium noscendi penitus *VALLAM*, ex fatia apud *FABRICIUM* in *hist. bibl. suae* P I. p. 319 seq. *CLARMVNDVM* P. III. I. p. 5 seq. *BOERNER.* p. 107. *VOSSIVM* de *Constructione* c. 16. qui illis temporibus, *OMNINO MAGNUM*, *Vallam* appellat, et acutum *Romani sermonis censorem, uirumque de latina lingua praeclare meritum; qui tamen, non raro, a ueritatis uia deflectat, idque*

que





*que inprimis contradicendi morbo, quo uebementer laborabat, ut non temere omnino in eum iam olim dictum sit:*

Carpis maiores, et te quoque, Valla, minores.

Carperis et carpis. Sic tua fata ferunt.

BRVCKERVM denique l. c. p. 32 et MORHOFIVM T. I. L. III. c. X, 6. p. m. 882 ubi tria etiam, quibus perstringitur, epigrammata, uidere licet, quorum alterius uaria apud uarios lectio est:

Tandem Valla iacet, solitus qui parcere nulli:	O he! ut Valla file! solitus qui parcere nulli est.
---	--

Si quaeris, quid agat, nunc  
quoque mordet humum

Morhof.

Volateranus auctor,  
Lib. Var. fol. 176.

Addamus, pace Lectoris nostri, et in hunc Virum elogium, et epitaphium, ipsi in aede Lateranensi Romae positum, et denique, quorundam de eo suffragia, non fatis honorifica.

### I. Elogium:

*Vt ex auctoribus, unde linguae copiam petendam esse diximus, fructum capias, et maturius, et uberiores, Laurentium Vallam, tibi, censeo, diligenter euoluendum, qui de Latini sermonis elegantia scripsit elegantissime. Erasmus Roterod. de Ratione studii c. III. uid. Crenius Methodor. T. I. p. 83 seqq. conf. quae ex Gifanio in laudem Vallae idem dat Methodor. II p. 286*

### 2. Epitaphium:

LAVRENTIO. VALLAE. HARVM. AEDIVM. SACRARVM.  
CANONICO. ALPHONSI. REGIS. ET. PONTIFICIS. MAXIMI.  
SECRETARIO. APOSTOLICOQVE. SCRIPTORI. QUI. SVA.  
AETATE. OMNEIS. ELOQVENTIA. SUPERAVIT. CATERINA  
MATER. FILIO. PIENTISSIMO. POSVIT. VIXIT. ANNOS. L.  
O. B. AN. DOMINI. c1555cLXV. KAL. AVG.

3. Iu-



## 3. Iudicia non optima:

HVETIVS, *de claris Interpr.* p. m. 266 dum ad Italos uenit, qui interpretandi arte Gallis ipsis praeiuerunt, primo quidem loco VALLAM ponit, sed his additis: *annis ab hinc ducentis, Herodotum et Thucydidem literis exponebat* Laurentius Valla, *in ea bene et eleganter dicendi copia, quam totis uoluminibus explicauit, inelagens tamen, et pene barbarus; graecis ad hoc literis leuiter tinctus, ad Auctorum sententias parum attentus, oscitans saepe, et alias res agens, fidem apud eruditos decoxit.* VOSSIVS autem *de imitat. poet.* apud Crenium Methodor. I, p. 810, *inprimis, inquit, fas, prouocare a iudice, alioqui docto, sed in poësi habente* Midas aures. *Qualis Laurentius Valla? Quam ineptus fuerit poetarum censor, argumento esse possit, quod, ut Iouianus Pontanus tradidit, Maroni anteferet uersus Pindari istius, Latino carmine Homeri scribentis epitomen, cuius initium:*

Iram pande mihi *Pelidae*, Diua, superbi,  
Tristia qui miseris ingessit funera Graiis

Distichon denique *Toscani* L. I. n. XXII. finem hic faciat:

Artes *Valla* libro cunctas qui colligis uno,  
tam non multa doces, quam didicisse probas

## §. X

33) p. XVII. *Incredibili quadam laetitia omnes Literati perfundebantur, cum prospicerent futurum, ut in omni studiorum genere, posteritas cum antiquitate certaret; dum ex Aldi Officina prodibant antiqui Authores graeci et latini, philosophi, historici, oratores, Rhetores, poetae, nec non inter recentiores, italos praecipue, melioris notae plurimi.* *Etsi*

V

*Aldina*





*Aldina officina praeter profanos auctores non ita multum nobis dedit, (quemadmodum ERASMVS, ut et in primo prioris periodi membro, loquitur) non tamen ea de caussa ALDO lis intendenda, qui, (uti ex postea dicendis §. XI n. 39. apparebit) iam dudum sacra Volumina sibi proposuerat imprimenda; propositisque, si uita ipsi obtigisset longior, quam aliquando sperare et optare uidebatur, (uid. p. XXIII.)\* stetit.* MAITTAIR T. II. p. 52

34) Hos inprimis et qui p. XXVIII. §. XV. indicantur, in illos referri uolumus, de quibus p. CXXII copiosius nos acturos promissimus. Generatim quidem maxime huc faciunt, illi ipsi illius aetatis uiri, in scriptis suis, illaque inter inprimis, si quid ab illis epistolarum habemus, itemque Polycarpus Lyserus in *parergis Oratoriis*, Humphredus HODY de *Graecis illustribus, linguae graecae literarumque humaniorum instauratoribus, eorum uitis, scriptis, et elogiis* L. II. cura Sam. IEBB. Londini MDCCXXXII. BOERNERVS, in opere saepius iam a nobis citato, Lipsiae 1750 edito, de cuius initio, 1704 publice proposito, *ὑποκαρπεσοῦς* librorum censor, REIMMANNVS, in *Bibliotheca historiae literariae* p. 343 ita iudicat: *Ex XII uel XIII illustribus graecis, qui ante et post expugnatam 1453. Constantinopolim in Italiam se receperunt, et graecarum literarum studia, uel instituerunt primum, uel collapsa restituerunt, quatuor tantum in hac dissertatione exhibet auctor, reliquosque se in posterum daturum, in praefatione promittit. Quod praestitisse eum, uellemus sane! usque adeo haec Tetras literaria, nostro desiderio satisfacit. In qua dictio gracilis cum lenitate aequabili profluens; expositiones rerum cum iudicio selectae, et testibus idoneis confirmatae; et mendae eorum, qui a semita ueritatis discesserunt, molliter et sine iudiciali aspe-*



*asperitate correctae.* Multum denique hic iuuat FABRICII *bibliothecam graecam*, itemque *medii aevi latinam*, nec non ERVCKERI *Historiae Criticae Philosophiae* TOM. III. ad manus habere. Iam in eorum gratiam, qui notitiam non spernunt auctorum eruditorum, ab *Emanuele Chrysolara* faciamus initium, quem graecarum literarum peritissimus *Ioannes Reuchlinus*, aptum *Graece initiandis grammaticum*, dicit, itemque *Melchior Volmarius*, *Gourmontii* in graecis editionibus adiutor, dum de *Gazae*, *Apollonii*, *Lascares* et *Vrbani* grammaticis sententiam fert, *Petri Danesii* testimonio nixus, *non ullum*, inquit, *esse graecis initiandis auctorem, perinde accommodatum, ac Chrysolaram.* Auctore sine dubio *Chrysolara*, Italiam, dum literas graecas ex patrio solo mox expulsum iri, sentiebat, petente in Latium spretis Academia migrat Athenis:

quod *Platinae*, *Poggii*, atque *Tritheimii* testimonis probari potest. uid. HEVMANNVS, in *Consp. Hist. lit.* p. m. 144 (b) Confer. BOERNERVUM l. c. p. i. seqq. THEVETVM *Vies des hommes illustres* L. II. c. 45. FABRIC. *Bibl. Gr.* Vol. VI. p. 484. VII. p. 38. X p. 392 XIII p. 824. CHYTRAEVM in *Delic. itin.* p. 425. Probe tres *Chrysolarae*, *Demetrius*, *Ioannes* et *Emanuel* s. *Manuel*, eodem tempore uiuentes, distinguendi sunt

*Bessarionis*, cuius in fronte sui libri BOERNERVS effigiem dedit, et de quo p. 36. seqq. copiose agit, optime uitam PLATINA in parentatione, quam p. 81 integram dedit BOERNERVS, descripsit. Conferantur etiam NICERONIVS T. XXI. FABRICII *hist. Bibl. Suae* T. V. p. 500 FABRICII *bibl. Gr.* Vol. X. p. 401. seqq. XI. p. 680. *Ianus Lascares*, *Bessarionis* contra Graecos librum, hoc perstrinxit disticho:

Infertus Graiis, in Graios spicula torquet  
*Bessus*; proditio haec ambitionis opus

V 2

Lambe.





*Lambecius* uero atque *Huetius* magnifice de eo sentiunt. Ille in *Bibl. Caes. append. L. VI. Additam. II. de tr.* *Fuit*, inquit, *latinae simul et graecae linguae peritissimus, et multiplici solidae eruditionis uarietate instructissimus, inprimis autem philosophus platonicus, insignis, liberalissimus doctorum uirorum, undique ad ipsum confluentium, patronus.* Hic uero loco saepius citato p. m. 292 *Principem*, ait, in graecis recentioribus interpretibus, *cum merito suo, tum amplissima dignitate tenet Bessarion, Cardinalis Nicenus, Patriarcha Constantinopolitanus, cuius singularem in conuertendis graecis, et plane admirabilem industriam, si fuisset prosecutura posterior aetas, et pari interpretationum salubritate contenta, ab intemperanti licentia, sese abstinuisset, neque linguae graecae ignaros homines, tam saepe in errorem illiceret, interpretum perfidia, neque nobis in eiusmodi libertate coercenda, et apertissima re, argumentis, et exemplis demonstranda, nunc foret laborandum.*

FRANCISCVS PHILELPHVS, a *Constantino Lascari* castigatus, quod nimium se iactaret de graecae linguae peritia, in epistola  $\alpha\upsilon\epsilon\kappa\delta\omicron\tau\omega$  Mediolani asseruata, (BOERNER p. 180) ipse haec de sua natiuitate in epistolis Venet. 1502. fol. p. 119 a. reliquit: natus sum VIII. Kalendas Augu. anno, a natali Christiano, millesimo trecentesimo nonagesimo octauo. Ago iam tertium et sexagesimum annum. Ex Mediolano Kal. Ian. MCCCCLXI. Has easdem eius epistolas, ex Libris XXXVII. constantes, quibus status illorum temporum literatus quam maxime illustrari potest, ante aliquod tempus, Italia nobis iterum dedit. *Huetius* l. c. p. m. 267 *de Petri Nannii sententia* sic de *Philelpho* nostro pronunciat: *religiosus circa uerba, in reddenda sententia et indole defecit: transtulit Xenophontis multa, cumque uideret uerborum elegantiam, uerbum uerbo reddere uoluit, caeterum non potuit ex fide reddere, quae in Graecis reperiatur,*  
quod





quod mirum in homine graeco; Graeco, addit *Huetius*,  
fermonis graeci peritia, non natione; apud Tolentinos  
quippe natus erat. Vid. *Toscanus* L. I. n. XVII. *Miscell.*  
*Lipf.* T. V. p. 322. *Niceron.* T. VI. X. XXXXII. *Lan-*  
*celot* T. XV. p. 531 *des Memoires de l'Academie des inscriptions.*  
*Crenius Merbodov.* l. p. 130

*Emanuel Moschopulus.* Duo sunt eiusdem et praenominis  
et nominis. Alter Cretenfis circa A. C. 1392 clarus, By-  
zantinus alter, huius patruelis, qui, post captam CPolin, circa  
A. 1453 una cum aliis graecis, in Italiam profugit. Hunc h. l.  
intelligit VNGERVS. Auctor est hic librorum: *de Vocibus Atti-*  
*cis, de constructione nominum et uerborum, περι προσωδιας, περι*  
*γραμματικης γυμνασιας, περι σχεδων, Exegetis Grammaticae*  
*in duos primores libros iliados, scholiorum in Hesiodi opera et dies,*  
De reliquis, quae ipsi tribuuntur, cum et alteri aequo iure  
tribui possint, cum FABRICIO in *bibl. Gr.* Vol. VII. p. 38  
suspendo iudicium, neque hic de eius ineditis scriptis, apud  
eundem *Fabricium* commemoratis, dicendi locus. Conf.  
idem Vol. III. p. 534. Ceterum non ab *Aldo* ipso, sed post eius  
demum obitum, 1523 in Altero Grammaticor. Volumine, quod  
ex Officina Aldina et *Andreae Asulani* prodiit, *Thomas Magi-*  
*ster, Phrynichus* et MOSCHOPULVS de Vocibus Atticis, in lu-  
cem sunt prolati, et in 3tio Volumine 1525 *Moschopuli περι*  
*της ονοματων και ρηματων συνταξεως* et *περι προσωδιων.*

Sequitur *Theodorus Gaza*, cuius eruditio, quam  
late pateat, docet *Ioannes Andreas*, Aleriae in Cyrno insula  
episcopus, et Papae Bibliothecarius, in epistola ad *Paul-*  
*lum* II. qua ipsi *Gellium*, Romae, *Conradi et Arnoldi*, Ger-  
manorum, typis 1469 editum, primumque librum, in quo  
graeca, typis, quos *Matt.* T. I. p. 12. describit, expressa  
sunt, dedicauit, quippe qui hanc curauit *Gellii* editionem;  
*uir*, ait, - ANDREAS, non in una aliqua seorsim facultate,





*sed in omnibus generatim animi ingenui disciplinis doctissimus, . . . uir summae eruditionis et sapientiae.* ALDVS item in epistola ad Lectorem, cum huius Gazae grammaticam ederet, eum sic commendat: THEODORVS, *si dictionem attenderis, uidebitur tibi dulcis, eloquens, et plane atticus nihilque praetermississe, quod sit necessarium, uolenti graece discere; si uero doctrinam atque ordinem, (pace aliorum dixerim,) solus docere bonas literas, ceterorumque grammaticorum facile princeps.* HVETIVS tamen l. c. p. 219 et 293, 294 inter interpretes tantum, quantum Iouius, Erasmus atque Nonnius, Gazae tribuunt locum, non concedit, praecipuum tamen doctrinae decus, neque non eloquentiae laudem: longe ideo diuersus a VIVE, in de studii puerilis ratione, qui nostrum, principem, dicit, consensu omnium, interpretum . . . *sive candore interpretationis, sive copia latina, qua certauit cum graeca, sive felici audacia, fingendis, ad analogiam, uocabulis, quibus carebant latini, ut commodius graeca redderet.* Vid. CRENIUS *Methodor.* I, 79, 80. BOERNER. p. 121 seqq. CLARMONDVS P. III. V. p. 55 seqq. FABRIC. B. G. Vol. VIII p. 192 seqq. FABRIC. in *hist. bibl. suae* T. I. p. 131. NICERON T. XXVIII

A Gazae, hac in re, ingenio, longissime abest, Nicolaus Perottus, qui, ut Huetii utar uerbis, p. l. m. 269, *literarum latinarum, quas per diu docuit exquisite, ut illa erant tempora, fuit peritus: non uulgaris praeterea eius fuit industria, in graecis ita uertendis, (quae quidem intelligeret,) ut nullum persaepe, graeci idiomatis, in latina eius interpretatione uestigium appareret, quam interdum opus esse AUTOQUEE dicas; . . . tamen meo iudicio, a fidelis interpretis absolute tantum abest, quantum qui longissime; tam leui quoque graecae linguae cognitione fuit imbutus, ut uix in eius scientiae cortina uideatur adstitisse; quae si ipse de se sensisset,*



*fisset, numquam Interpretationem Polybii, Nicolai Pontificis oratu, suscepturus fuisset*


At quod desideratur in *Perotto*, non optimo, ut uult *Huetius*, interprete, illud sexcenties refartum uides, si eius in *Martialem*, ut hoc unico utar scripto, commentarium, quem uere *Cornucopiae* inscripsit, ante oculos ponis: qui multis magno usui fuit, dum aliquid praeclare scribere uoluerunt, et de quo uid. MORHOFIVS l. c. T. I. L. III. c. VIII, 9. p. m. 821. seq. itemque CRENIUS Methodor. T. I. p. 140. Fuit, *Friderici III.* Imperatoris a consiliis, *Perottus*, ipsiusque manu lauream poeticam consecutus, *Sentinas*, *Archiepiscopus Sipontinus*, ut TOSCANVS L. I. n. XVIII. tradit; in quo munere recte administrato, extrema iam senectute obiit in uilla *fugicura*, quam exstruxit, hocque insigniuit nomine; de qua quod TOSCANVS cecinit,

detinuit pulcro te *fugicura* sinu,

quomodo, abreptus, repeteret, si *fugicuram* (*Sans Souci*) FRIDERICI M. Porufforum regis potentissimi, uideret, quae tota quanta est, elegantiam exquisitam Graeciae Latinaeque Veteris spirat. Euoluantur PEROTTI caussa BOERNER p. 37, 57. seq. CLARMVNDVS, P. VI, III, p. 66 seqq. NICERON T. VIII

Copiosiores erimus in *Zenobio Acciaiuolo*, a patria, *Florentino* dicto, siquidem tres plagulas, hic impressas, habemus, quae emendationem *Lex. uniu. erud.* continent, quae autem, nescio quo casu, interruptae sunt, ut neque titulus, neque auctor, in iis appareat. Exponunt uero etiam huius uiri uitam, unde ex illis, omnia dabimus, obseruantes, ab *Leandro Alberto*, *Acciuolum*, ab ALDO autem, *Acciolum* nominari, et in titulo *Eusebii contra Hieroclem*, ex interpretatione nostri, 1502 editi, et in praefatione huius Libri, quam ad nostrum ALDV9 fecit. uid. Sect. III. n. XXXVI p. LXXXVI,





p. LXXXVI, *Vngerum* denique male omiffisse uerum hominis nomen, eumque praenomine et cognomine tantum nominaffe. Iam in confilium adhibe de *Acciolo*, quae ibi leguntur, a nobis, ex germanico, latine conuerfa:

Non parum erratum puto, si inedita *Acciaiolii* fcripta, ab editis non diftinguntur, de quibus *Monnoie* apud *Bailium* uideri potefl. Neque epiflolas ad *Picum* de *Mirandula* dedit; equidem non nifi unam *Zenobii*, et duas illi refpondentes, uidi. Peccatum item uideo, dum Coenobium *MARIAE* dicitur, quod *D. MARCI* efl. Denique non fine ratione colligo, in allatis *feholiis et gloffis interlinearibus*, in *ARISTOTELIS Ethicam, ad NICOMACHVM*, cum *Donato Acciaiole*, noflrum commutatum efl. De Anno *Zenobii*, quod *MONNOIVS* fibi notet, emortuali, hanc fub finem dabo obferuationem. *Ambrofius Altamura* refert, *Zenobium* diem obiiffe fupremum a. 1520. *MONNOIVS*, hic aliquid fufpicatus, ait, nonnullos putare, non nifi a. 1537 mortem *Zenobii* contingere potuiffe, quia *Hieronymus Aleander*, qui illum in munere bibliothecarii Vaticanani fecutus efl, nonnifi a. 1537. illud capefferit. Vnde haec labet *MONNOYE? BAILIVS* dicit: *ALEANDRE fut d'abord placé chés le Cardinal de Medicis, au quel il ferui de fecretaire: il eut enfuite la Charge de bibliothecaire du Vatican, après la Mort d' ACCIAIOLI. Mais le grand theatre, ou il commença de paroître avec éclat, fut Allemagne, au commencement des troubles, que la reformation y excita. Il y fut enuoyé Nonce du Pape l'an 1519. Nonne hinc apparet, illius curae iam ante annum 1519. Bibliothecam Vaticanam fuiife traditam. Nifi forte υσερον προτερον efl apud *Bailium*. Igitur, modo apertiffimo dubitandi *MONNOI* rationes diluam, nempe hoc: *Aleandrum* iam purpura a Pontifice accepta fulfiffe a. 1537 aut certe anno infequenti. Nunc, qui potuit fuffeffor *Zenobio*, hoc demum tempore, dari?*

fed



sed aperiam fontes erroris apud MONNOYVM, eosdem, qui in *Lex. Vniu. erud.* quod scilicet, *custodem* bibliothecae *Vaticanae*, ab eiusdem ueri nominis *Bibliothecario* non distinxerunt. Hic nonnisi purpuratus esse potest. *Acciaiolo* a. 1520, aut, uti equidem suspicor, adhuc prius, mortuo, successit *Aleander*, *custos* seu *Magister* bibliothecae *Vaticanae*; deinde uero, cum inter purpuratos Papae anno circiter 1538 reciperetur, capessit munus *Bibliothecarii* ueri nominis. Liberalis ero, et adhuc testimonio quodam probabo, difficulter credi posse, 1537 demum e uita decessisse *Acciaiolum*. *Leandri* quippe auctoritate nitor, qui, in *descriptione Italiae*, ZENOBIVS, inquit, ACCIEVOLVS, *ex ordine praedicatorum*, qui de graecis opera quaedam in latinum conuertit, nominatim *Iustinum martyrem*, et ANNIS SUPERIORIBVS *Bibliothecae Vaticanae magister excessit*. Hic locus apud *Albertum*, non longe ab initio operis legitur sui, quod plene iam a. 1537 confectum erat, quamquam aliquot demum annis post typis impressum est. Quomodo igitur dici potuisset ANNIS SUPERIORIBVS, si eodem anno, quo confecit, opus, (a. 1537) mortalitatem expertus fuisset *Acciaiolus*. Latinam, cuius meminit *Albertus*, *Iustini* conuersionem, numquam publici iuris factam esse, ii probe norunt, qui, nisi ter, latine, *Iustinum* non extare, sciunt: primum, *Ioachimi Perionii*, deinde, *Sigism. Gelenii*, et tertio *Ioannis Langii* opera

Neque iniucundum, spero, neque inutilem nos fecisse laborem, cum haec huc transtulimus. Quibus ego addo, *Zenobii Acciaioli* conuersionem *Eusebii, Holstenium* recognouisse, et quibusdam in locis, a graeci exemplaris fide, et auctoris mente abeuntem, interpolasse. Vid. *Fabric. hist. bibl. S. P. I. p. 93.* qui etiam *bibliothecarium* eum nominat, clarumque A. 1536 dicit: recte uero epistolam scripsisse indicat, et cum *Henr.*





*Ernstio*, eum doctissimum ac probum uirum appellat. Denique illud obseruo, unam adhuc aliam extare *Acciaioli* epistolam, 1495 Florentiae scriptam, quam dedimus supra 24) p. CXXXVIII, et, aut duos esse *Ioannes Acciaiolos*, aut, si, ut mihi quidem probabile est, unus est modo *Ioannes*, de illo non dici posse; uixit circa annum 1564, quemadmodum *Lex. erud. Vniu.* narrat, siquidem hic *Ioannes Acciaiolus*, auxilium praebuit *Nerlio*, cum 1488 *Homeri* opera ederet, omisus etiam in eodem *Lex. erud. Vniu.* T. III. p. 863 art. *Nerli*, (Bernhard.) inter reliquos in hoc opere adiutores, *Demetrios*, *Chalcondylam* et *Cretensem*. Nullus, ut hoc insuper addam, dubito, quin unum adhuc librum *Acciaioli* dare possim, ignotum fere omnibus. Scilicet *Maittairius* T. II. p. 268 *Orationem*, habet, *fratris ZENOBII, ordinis praedicatorum in laudem ciuitatis Neapolitanae. - - - 1515.* Nemo autem alius extat *Zenobius*, nemo hac persona notus, nisi noster *Acciaiolus*. Verum enim uero, tempus est, reuertendi, ad reliquos, qui indicandi supersunt

*Marsilium Ficinum*, non cum *Nannio* religiosum atque fidelem, qui summa cura uerbis institerit, sententiam quoque reddiderit, licet defecerit in indole, dicit *Huetius* l. c. p. 270. uerum ita de eo iudicat: uerborum curam neglexisse, sententias dilatasse nonnumquam, uel contraxisse, maxime in *Trismegisti interpretatione*, cuius opera nonnulla, aegyptiace et graece, ab eodem *Hermete*, utriusque linguae perito, scripta, absurdissime crediderit. uid. p. m. 212. Hinc maiora iusto uidentur, quae *Toscanus* L. I. n. XXXXI de eo contendit: *Ficino nostram aetatem paucos genuisse conferendos, anteponendum uero neminem.* Conf. *MORHOF.* l. c. T. II. I, 7, 15 p. m. 39 *NICERON.* T. V et X et *SCHELHORNIVM*, nuper, ob singularia studia meritaque, ab horum iudice exactissimo

fimo



fimo, PFAFFIO, illustri Tubingenfium Theologo, fponte,  
honore Doctoris Theologi, auctum, in *amoenitatibus liter.*  
T. I.

*Varini Pbauorini Camertis*, cuius postremi nominis,  
in *Lex. erud. Vniu.* plane nulla fit mentio, laudes, de graeca-  
rum literarum peritia, qua gauifus est, optime exponit *Car-*  
*teromachus* in praefatione *Aldinae* editionis a. 1496 *Tbefauri*  
*Cornucopiae*, cui primus Varinus manum admouit, etc. da-  
tae, ipsiusque epistolam ad *Petrum Medicem* graecam, quem  
ob magnos in lingua graeca profectus laudat, exhibet  
*Maittairius* T. I. p. 83. Si eius nominis *Varini*, quod pro  
nomine *Guarini*, ab ALDO etiam ipsi tributo, afciuit, discriminis  
a *Guarino Veronenfi* cauffa, orthographiam graecam aspicias,  
ab *Aristobulo*, in epigrammate *Tbefauro* praefixo, Γωαρπινος,  
nominatur, fe ipsum autem, in epiftola modo memorata,  
Βαρπινον, dicit, et, ut puto, inde itidem in Titulo *Diétiona-*  
*rii* fui Basil. ap. *Robert. Winter* 1538 fol. editi, et *Camerarii*  
praefatione ornati, Βαρπινος, nomen habet: ΛΕΞΙΚΟΝ ΒΑ-  
ΡΠΙΝΟΥ ΒΑΒΩΠΙΝΟΥ. Vid. *Fabricii* B. G. Vol. X p. 69  
feqq. MORHOF. l. c. T. I. III. c. VIII, 2. p. m. 806. *Mait-*  
*tairius* T. II. p. 642 eius, ad *Iulium de Medicis*, in fastis Pon-  
tificum CLEMENS VII appellatur, epistolam, quam *Di-*  
*étionario* 1523 praemuniit, graecam exhibet. Destinatam  
erat hoc opus *Leoni X*, antea *Ioanni de Medicis*, discipulo  
*Camertis*, qui etiam in decennium priuilegium huic operi  
concessit; uerum *Leonis* mors, ante eius editionem, acci-  
dit, fuccefforem, excepto *Hadriano VI. Caroli V.* praece-  
ptore, uix biennium Pontificis munere functo, *Iulium de Me-*  
*dicis*, confecutus. Denique, cum praeceptorum laudes  
quam maxime respici debeant, audiamus *Politianum*, *Vari-*  
*ni* fideliffimum praeceptorem, de hoc suo gratiffimo item  
X 2 disci-





discipulo uerba facientem. In illa, quam *Thesauro*, saepius commemorato, ad *Camertem* exarauit, epistola: *Consulis me*, inquit, *Varine*, de noui operis editione, quo tu uidelicet inclinationes omnes paullo remotiores Graecae linguae, breuiter et dilucide, perque ordinem literarum, complexus es. Ego uero te, ut edas, quam maxime adbortor, quippe usui magno futurum, graeca discere cupientibus, tibi que immortalam gloriam pariturum. Mibi certe (quid enim dissimulem) gratissimum facies. Nam cum te semper habuerim, quasi eximium inter discipulos utriusque linguae, meque tibi, in literis, etiam arcana, retexerim: quod tu, homo gratisimus, libenter, et profiteris, et praedicas, nimirum scilicet ad me quoque portio aliqua tuae tantae laudis redundabit.

MAITTAIR. T. I. p. 83

De *Scipione Carteromacho Pistoriensi* dicendum, quem contemptoribus, uel nostra aetate, Logices opponamus, quippe qui eius studium quam maxime commendauit, in praefatione ad *organon* ARISTOTELIS apud ALDUM 1495 editum. Eximia prorsus laude illum maectauit *Erasmus*, Bononiae, scribens, primum uidere contigit *Scipionem Carteromachum*, reconditae et absolutae eruditionis hominem, sed usque adeo alienum ab ostentatione, ut, ni prouocasses, iurasses esse literarum ignaram. Cum eo, post, Romae, fuit mihi propior familiaritas; et decessit haud multo maior annis quadraginta duobus. Vid. MAITTAIR. T. I. p. 239. edit. I. In Academia Aldina *Carteromachus* quibusdam *Apollonium*, Grammaticum, interpretatus est, teste ALDO ipso, in praefatione ad LASCARIS grammaticae Librum III, ubi ipsi, homo et graece et latine doctissimus audit. conf. MAITTAIR. T. II. p. 52. Legatur etiam NICERONIVS T. XXII

Iliada,



Iliada, ut aiunt, post *Homerum* scriberem, si *Bembi* uitam uellem amplificare, in qua, quo maior illustriorque est *Purpuratus*, eo accuratius atque copiosius uersati sunt homines eruditi, inter quos inprimis *Casa* eminent, cuius uitae *Bembi* descriptionem, auctores *des Neuen Bücherstaats*, omnibus, quae uel *Gassendum* habent auctorem, praetulerunt. Vol. I. p. 995. Inseruit illam *GVNDLINGIVS*, *Monumentis*, quae edidit 1709, *CASAE latinis*. Conf. *KOELER*, decus insigne *Georgiae Augustae*, in *Münzbelustigungen* 1731. n. 30. *FABRICII Historia Bibl. suae* P. III. p. 78, 79. *TOSCANVS* L. III. n. CXX. *LIPSIUS* in *notis ad Politic.* L. VIII. extr. et *Cent. II. epist. Miscell.* XXVII. *NICERON.* XI. et XX. *MORHOF.* l. c. T. I, I, 23, 38 p. m. 278 *CLARMVND.* P. II. X. p. 41

Ad *STROZZIOS* ueniendum est. Nihil de *Tito* equidem reperi, nam *Iouius* de eo non agit, qui tamen auctor citatur in *Lex. erud. Vniu.* modo de *Hercule*, in *elogiis uiuorum doctorum* p. 113. n. 42

Est ibi *ALDI* nostri in *Herculem Strozam* epigramma, cuius praeceptor fuit; (§. VII.) unde non ab re esse uidetur illud hic apponere; cum etiam de patre nos facit certiores, nec obseruatum *Aldini* ingenii specimen exhibet:

Hospes, licet alio propere eundum tibi,  
 rogo, hoc legas carmen, scio miserebere,  
 humanitas quae est tua. poëtae hic sunt sita  
 ossa *Herculis Strozae*, poëta qui fatus  
 patre est *Tito*. Quod si cupis cognoscere,  
 qualis poeta uterque, queis honoribus,  
 quantisque praeditus fuerit in patria,

X 3

quam-





quamque inclytis *Stroza* orta gens maioribus ;  
 longum foret narrare. id e libris potes  
 cognoscere, hospes, quos pater, quos filius,  
 (nam excusi habentur) fecit excultis modis.  
 Cantauit *Antbiam* atque *Phylloroën* pater,  
 quosque tulit heroas familia *Estensium*,  
 inuisaque arma matribus. *Lucretiae*  
 hic *Borgiae* laudes, decusque heroidum  
 quot sunt, quot fuere, quotque erunt. Hic et DEos  
 canebat, et Gigantas et bella horrida,  
 ac multa alia, cum rapitur. Heu fata impia,  
 egisset integram uel aetatem alteram,  
 non sua minus gauderet hoc *Ferraria*,  
 quam aut *Mantua Marone*, aut *Catullo* nobilis  
*Verona*, *Venusiumue Horatio* suo.  
 Heu ter, quater crudelia, heu fata impia.  
 Momimentum et ipse exegit aere prennius,  
 atque altius pyramidibus regnum, *Iouis*  
 quod ira numquam diruet, tempusque edax,  
 aut *Aquilo* impotens, maliue ignes, uirum  
 nam sibi dicatum oppetere, *Pierides* uetant.  
 Sed mulierum quae est gloria, et honos, *Barbara*  
*Taurella* coniux quam pientissima, uiro, et  
 una ut quiesceret, ipsa donec corporum  
 erit excitatio, sibi hoc uiua posuit.  
 Hoc te uolebam scire, iamque abi, et Vale.

Vtros-

X 3



Vtrosque, *Titum*, patrem, *Herculemque*, filium, TOSCANVS L. I. LIIII ita describit :

Egregii uates, illustri sanguine creti,  
qua gemino findit se pater amne Padus :  
principibus cari pariter, gratique Camoenis,  
ingenio ac studio scripsit uterque pari.

At patre flebilior natus : perit ille senectae  
in meta : hunc leto prima iuuenta dedit.


Sed Lachesis fortasse uidens superare poësi,  
credidit hunc aeuo praeteriisse patrem :

atque *Herculi*, obseruat, *fatale fuisse*, *perinde ac CLAUDI-  
ANO*, *Gigantomachiam inchoare*. *Vterque enim, uix in-  
cepto opere, absumtus est*

STROZZIIS in *Lexico Vniu. Erud.* addo *Augustinum STROZZAM*, Canonicum Lateranensem, qui *de raptu PAVLLI libros duos, ex Patribus et Scholasticis collectos*, Mantuae 1498 edidit. uid. *Le LONG. Bibl. Sacr. p. 977.* Illud etiam in *Lex. cit. in Petro STROZZA, Lazari Bonamici discipulo*, addendum erit, scripsisse illum *de Chaldaeorum dogmatibus disputationem*, de qua uide *Catalogum bibliothecae Theologicae Iac. Frider. REIMMANNI p. 816.* Quod sciri potuit, si ipsum fontem, inspexissent collectores, *Ianum Nicium Erythraeum*, in *Pinacotheca altera XV p. 53.* qui neque apud *Iulium STROZZAM* in *Pinacotheca III n. LI. p. 193*, nec apud *Laurentiam STROZZIAM*, *Pinac. I p. 499* (conf. *Biblioth. itali- que T. II. p. 40* seqq.) non apud eius fratrem *Cyriacum*, cuius tribus tantum uerbis meminit, omittendus erat, de quo *Cyriaco BOSIVS* de compar. Prud. ciuili §. XVI *deperditos*, inquit, *ARISTOTELICI operis supplere conatus est*, *Cyriacus Stroz-*

Stroz-





Strozza, *sed non admodum feliciter; proinde legendus quidem, sed non ea spe, ac si Aristotelem aequaturus sit.* Conf. BRUCKER l. c. p. 209. qui etiam de *Petro et Io. Baptista* ibid. p. 210. agit. Recordor etiam *Francisci STROZZII*, qui inter discipulos *Eman. Cbrysolorae* commemoratur, aequae ac *Palla STROZIA*, quam condiscipulam apud *Cbrysoloram* habuisse talem, quae maxime profecerit, scribit *ARETIVS* in *commentar. de rebus suo tempore in Italia gestis* p. 15. Verum, cum nullibi plura de iis commemorari sciam, ego quoque, plura dare, uetor

*Io. Iouiani Pontani*, obseruo, operum editionem *Bafileensem* a. 1556 e *Tomis III* spissis, forma octaua, constantem, non memorasse *FABRICIVM*, in quorum *T. I.* scripta pure moralia *T. II.* de aspiratione, aliaque ad grammaticam pertinentia scripta, historiaque regni *Neapolitani* *L. VI*, *T. III.* de rebus coelestibus aliaque astronomica, *T.* denique *III.* omnis generis poemata continentur. Vid. *NICERON* *T. VIII* et *X Nic.* *TOPPIVS* in *biblioth. Neapolit.* *TOSCANVS* *L. II.* n. *LI.* *MORHOF.* l. c. *I, I, 7, 3, p., m. 1066.* *CLARMVNDVS* *P. VII, X. p. 83.* seqq.


35) p. XVII. uerbi causa :

*I. Aurelii Augurelli* Carmina, Venetiis, in aedibus *Aldi*, mense April. MDV. 8uo

Silent omnes de *Augurello*; parum enim est, quod de eo in *Lex. Erud. Vniu.* narratur. Hinc quae habet *TOSCANVS* *L. II.* n. *LXV.* huc transferamus, eo lubentius, quod, huius exemplo, *Scaligeri* auctoritatem conatur labefactare. Ita uero canit :

*Archi-*





*Archilocho non arte minor uibrabat Iambos*

*Aurelius, at innoxios.*

*Scaliger oblatret licet usque: haud ultima nostri  
est ille faeculi gloria.*

*Sed nimium fului captus fulgore metalli,  
auro creando dum studet,*

*cum Pluto sit quanto, docet, discordia Musis,  
delusus arte futili.*

AVGVRELLVS, *Ariminensis, Iambicis uersibus clarus euasit,  
quem cur SCALIGER in Hypercritico contemnat, non adeo  
solicitus sum. Tanto enim uiro iudicium, quo in caeteris re-  
bus abundabat, in Poetica omnino defuisse, huius artis non  
mediocriter periti, mihi testes sunt. Cuius si uel tantillum  
habuisset, numquam profecto sua poëmata in lucem prodire  
passus esset. Augurellus igitur immortalitate digna scripsit.  
Cuius Chrysoepoeia, argumenti nouitate et elegantia, quan-  
tumlibet fastidiosum lectorem, capere potest*

36) p. XVII. Non commode *Dantes*, MDXV editus,  
illis ab VNGERO annumeratur, quos etiam ex recentioribus  
scriptoribus, ALDVS dignos iudicauit, ut typis suis excuderen-  
tur. Apparebit hoc, si ipsum hic apponamus libri, quem  
intelligit VNGERVS, titulum:

*l' inferno e'l Purgatorio e'l Paradiso di DANTE. In Vine-  
gia, nelle case d' ALDO et d' ANDREA di Asola, MDXV.  
del mese di Augusto suo*

Jam inde nostra sententia firma est; quod, cum ex ipsius  
VNGERI demonstratione, admodum probabiliter, ante men-  
sem *Aprilem* anni 1515, ALDVS mortuus sit, haec Dantis  
editio

II. D. M. Aug. Y





editio, non ad illos, quos ALDVS suo prelo fatigauit, auctores, idiomate uulgari scriptos, pertineat.\* Princeps hic poetarum Italarum, *Aligerius*, *Aldigerius*, *Aligberi*, multos nactus est aduersarios, inter quos eminent *Belisarius Bulgarrinus*, apud *Erythraeum Pinacoth.* II. n. XXI p. 70. seqq. quos tamen omnes *Jacob Mazonus* accurate confutauit. Elogium, quo a IOVIO n. III. p. 17 ornatur, *Etruscae linguae conditoris*, magis, eodem IOVIO teste, in huius discipulum, PETRARCHAM conuenit, de quo, inter alios, uid. FABRICIUS in *Bibl. med. aevi* Tom. V. p. 673. qui tamen PETRARCHAE *epistolarum* editionis a. 1601 quo non meminit. Habet de eo etiam HEVMANNVS V. S. V. l. c. p. 140 testimonia, ut et de DANTE, de cuius perraris operibus agit *Augustus BEYER* in *memoriis historico-criticis librorum variorum*, DRESDAE 1734 p. 230. laudatis a REIMANNO, in *Catalogo Bibliothecae suae* T. II. p. 531. *Saluinus SALVINI* in: *Fasti Consolari dell' Academia Fiorentina*, in praefatione, probat, *Dantis* opera, cuius effigies supra portam Academiae Florentinae collocata est, quod primus linguam hetruscam excoluit, iam per tria ferme saecula, publicis praelectionibus illustrata et explicata esse. Vid. *Actor. Eruditor. supplement.* T. VIII. p. 349. *Campanella* apud *Crenium Methodor.* II. p. 205. *Vnus*, inquit, *Dantes*, *ceteris* (poetis) *uidetur praesferendus in ideatione exemplorum, in mirificentia narrationis, in emolumentis reipublicae, et priuatae, in sapientiae utilitate, in imitationis ratione, solus elegantiae neglectus illi obest, quamquam apud vulgus tantum, doctissimi siquidem hanc minime*

\* At, praeter suam meamque opinionem, VNGERVS, iure posuit *Dantem*, inter reliquos ab ALDO impressos auctores. Nam inueni postea hanc quoque editionem:

Lo' ferno e'l Purgatorio e'l Paradiso di Dante Alaghieri: Venetiis in Aedibus Aldi accuratissime. Men. Aug. M. D. II





nime in ipso desiderant. In: *Gesammeltem Briefwechsel der Gelehrten*, Hamburgi prodeunte a. 1750 p. 497 seqq. descriptionem habemus elegantem codicis uetustissimi, membranae inscripti, multis aureis literis imaginibusque ornati, poema *Dantis* antea memoratum, cuius causa inter testes, aduersus Pontificios, ueritatis referri possit, qui iocando uerum dixerint, continentis. Quaedam inde communicabimus, cum hic liber germanice scriptus sit, ob eamque causam non satis alibi notus. Hoc ab initio statim praefationis, huic codici praemunitae, elogio insignitur:

DANTE poeta, sourano corona et gloria della lingua latina, di natione non di costumi fiorentino uenga gentile delantica et nobile pianta di quei gloriosi romani liquali coi fiesolani insieme fondono lacita di fiorenza specchio et norma diciuili et alti costumi, ancha dogni scienza. compuose questo mirabile libro lo quale in lingua greca si chiama Comedia

Vel omnibus antiquissimis poetis praefertur deinde, quia omni poeseos genere excelluerit: imprimis eius rhythmos sui similes non habere, *che mai non fu buono ke si dolcemente et parlasse et trouasse come fecelli*, eius epitaphio probatur sequenti:

Qui giace lexcelfo poeta comico *Dante*, il quale fu non solamente *comico* ma etiandio *satyro*, *lyrico*, et *tragedo*.

Vbi uero ipsum, post praefationem, incipit poema, hic titulus magnificus positus est:

LALTA COMEDYA DEL SOMMA POETA  
DANTE

Y 2

Huic





Huic tandem narrationi, *Hieronimi RVBEI in historia Rauennate, de Dantis Aligerii morte, commemoratione, omni fide dignissima*, ita imponitur finis: *sub idem tempus*, (p. 338 edit. rarissimae Venetianae ab A. 1572) inquit RVBEVS, Dantes Aligerius, Florentinus, *philosophus ac poeta insignis, Rauennae supremum diem clausit. Patria enim pulsus, una cum caeteris factionis suae, Albae ciuibus, cum saepe reditus in eam, Bononiensibus et Canegrandi Scaligero iuuantibus, frustra a se tentatus fuisset, primum Veronae aliquamdiu cum Scaligero uixit, in Germaniam deinde et Galliam profectus, coniunctaque, ad peritiam agendarum rerum, optimarumque disciplinarum, cognitione, Rauennam se ad Guidonem Polentanum contulit, a quo honorifice exceptus et amanter tractatus est, legatusque saepe ad Venetos missus. Cum autem anno a partu Virginis MCCCXXI ab eadem ueneta legatione regressus esset, mense Quintili, ex hac uita migravit. Hostafius et Guido, cum doctissimi uiri mortem immaturam, nam sextum et quinquagesimum annum agebat, acerbè tulissent, honorificentissime, Rauennatibus omnibus lacrymantibus, elatum, nobili sepulcro donarunt, quod uetustate collapsum, Bernardus Bembus, Praetor, restituit. Nihil derogatum equidem uolo fidei RVBEI, uerum fit eius narratione annus DANTIS natalis incertus atque inexploratus, cum TOSCANVS l. c. L. I. n. I. A. 1260, alii item, 1265, in lucem editum narrent, Rubeo uero auctore, qui, consentientibus etiam omnibus, quos adhuc uidere licuit, annum quidem MCCCXXI emortualem affert, addit tamen, sextum et quinquagesimum annum agebat, A. 1256, ut natus sit, necesse erit. Interim ego RVBEVM, auctorem adeo fidissimum, sequar, donec inspexero, Christophorum Landinum, qui eius uitam, suis, in Dantis Comoediam, commentariis, praefixit. Videatur BRVCKERVS l. c. p. 21 seq. et, quod nuper demum didici,*

didici,




didici, Vita di *Dante* par *Boccacio*: (sine dubio *Ioanne*, cuius commento sopra la comedia di *Dante* Aligheri Neapoli 1724 prodiit) in Roma, per Francesco Priscianese suo 1544

37) p. XVII. De *Crescimbenio*, eo memorabiliore, quod auctor est *Academiae Arcadiorum*, cuius etiam *custos generalis* fuit, et cuius imaginem nuper GOTTSCHEDIUS expressit, 1728 mortuus, uid. NICERON T. XXX. FABRICII *bist.* B. S. P. VI p. 206, 207, *Beytraege zu den Leipziger gelehrten Zeitungen*, T. I. p. 327

38) uitio typhothetae XXXVIII, p. XVIII.

Hunc doctum furem, *Traianum Boccalinum*, adhuc purgare non possum, imprimis quod hoc factum conuenit, cum aliis illiberalibus ab ipso perpetratis, descriptum ab *Erythraeo Pinacoth.* I p. 271. III, LVIII p. 222. CRASSI in *Elogii d'buomini letterati* P. I. 159 et CLARMUNDO P. I. n. 27. p. 210 seqq. quamquam id mihi scrupulum mouet, forte hoc antiquiorem illum, qui apud auctorem commemoratur, esse, tum, quia ex bibliotheca *Bembi* abstulit librum, decimo sexto saeculo, medio, iam mortui, tum quia a. 1585 iam tertium possessorem, quem quidem sciamus, hic liber habuit, et quidem iam 1609, octogenario maiorem, e uiuis ereptum, *Carolus Clusius*, de quo uide *Niceron.* T. XXX. *Crassi* l. c. P. II. 36. et *Euerhard. Vorstium* in oratione funebri, ap. *Wittenium* Decad. I. *Memoriar. Medicor.* p. 12 seqq. *Achillem Cromen* et *Gust. Adam. Barnerum*, iuxta cum ignarissimis, ignoro. *Rapbelingium* uero describunt *Bailius*, *Melch. Adami* in *uitis eruditorum Germanorum*, *Meursius* in *Athenis Batauis*, NICERON. T.





XXXIII et XXXVI Zeltner. in *centuria doct. correct.* etc. p. 458 *Maittaire* III, 554 seqq.

*Ioanni de Laet*, secuto hac in re *Iulium Pomponium Laetum*, cognominem, qui uetustissimam *Vitruuii* editionem, Romae 1496 dedit, praestantissimam huius architecti debemus, Amstel. 1649 et 1672 prodeuntem, cui insertam uidemus *Goldmanni*, architecti germani, iconem *Volutae* in ordine Ionico, cui soli licuit, omnium plausu, ad descriptionem *Vitruuii*, eam pingere. Conf. *NICERON. T. XXXVIII*

De *Adolfo Vorstio*, celebri illo *Leidensium* medico, *Eliae Euerbardi Vorstii*, eiusdem ibidem doctrinae peritissimi uiri, filio, nihil attinet dicere, cum *Wittenius* l. modo c. Dec. 2. p. 222 pluribus de eo agit, itemque *Clarmundus* P. II, XXVII p. 216 seq. *Diutius* in uiris doctissimis commemorati, ueniamus ad res, etiam erudito dignas.

### §. XI

39) p. XVIII. uid. Sect. II. p. LXXVI. conf. Sect. III. p. LXXXVIII et LXXX. *Decadyi* uerba haec sunt: τὴν γὰρ Μωσῆος πεντατεύχου συντητῆς παλαιᾶς διαθήκης παση λοιπῇ πραγματείᾳ εβραϊσὶ ἐλληνισὶ ρωμαϊσὶ, ἕκ εἰς μακρὰν ἐκδῶσεν εὐηγγελισατο συνθεῶ. Mihi quidem hac in re *Aldus* difficilior uidetur, quam in reliquis edendis, qua de causa uero, nescio. Nam quamquam haec statim ab initio typographiae *Aldinae* promissa sunt, uix ac ne uix quidem paucas hebraicas uoces 1498 in *Politiani* operibus, expressas uideas, et quamquam iterum, iam ea, ad linguam - - bebraicam, formis publicandam, summo studio summoque labore cudi, quae, admirationi omnibus futura, speret, a. 1499 mense Iulio, scribat, menseque eiusdem anni Septembri, *Grocinus Aldo* gratuletur, eum statutum habere,



*bere, Vetus Testamentum . . hebraice imprimere, uix ta-*  
*men iterum anno eodem, mense Decembri, in Hypnerotoma-*  
*chia, quaedam lineolae, hebraice, comparent, ut uel an-*  
*no 1501, scribat demum, in epistola ab Vngero citata, quae*  
*inter Goldasti Epistol. philolog. est XXII, Vetus . . Testa-*  
*mentum . . hebraice, nondum impressi, sed parturio. De-*  
*nique anno demum 1512, repetitae Lascaris grammatices*  
*editioni, adiecit: Hebraicum Alphabetum, et literarum com-*  
*binationes, et alia quaedam, quo legere hebraice tyro con-*  
*discat. Laus tamen ALDO debetur, illum, ante FRAN-*  
*CISCVM TISSARDVM, librorum sacrorum edendorum con-*  
*filium cepisse. Vid. Mait. T. II. p. 47 p. 122. Errat uero*  
*Bernbard. a Mallinkrot, de ortu et progressu artis typogr. p.*  
*91. cum putat: ALDVM primum esse, qui typos hebraicos hac*  
*in arte adhibuerit, cum quo Paullus Pater facit l. supra c.*  
*p. 60. Non solum, ut auctor uult, uetus testamentum 1518*  
*apud Asulanos graece, lucem uidit, sed et nouum. Est*  
*horum bibliorum hic titulus:*

Sacrae scripturae ueteris nouaeque omnia, Graecè; in  
 tres partes diuisa : *in aedibus ALDI ET ANDREAE*  
*soceri fol.*

Vid. *Maitair.* T. II. p. 310, 311

Complutensi Bibliorum editione haec omnino pridè est, *mul-*  
*tis, ut Asulanus testatur, uetustissimis exemplaribus collatis,*  
*adhibita etiam quorundam eruditissimorum hominum cura. Iac.*  
*VSSERIVS in syntagm. de LXX. Interpret. c. 8. obseruat:*  
*banc Venetam editionem interdum LXX non sequi, sed Aquil-*  
*lae lectiones et uaria glossemata admittit. Conf. Fortgesetzte*  
*Sammlung von A. und N. Theologischen Sachen 1752. 2 Stück.*  
 De BOMBERGIO uide MORERI *Diction. historiq.* T. I. p.  
 m. 451.





m. 451. BAILII *Diction. hist. et crit.* p. m. 639. *Lexicon germanicum historicum* Buddeanum p. 399. *Richardus SIMON* *bistoire critique du V. T.* p. 512. *Sixto Senensi*, BAMBERGVS, *Conrado GESNERO*, nunc BOMBERGVS nunc BAMBERGIVS dicitur

## §. XII

40) p. XVIII. *Atque ita*, inquit ROCCA in *Bibl. Vaticana* p. 412. *ut, omnibus in rebus, quidquid exacti, quicquid denique boni appareat, id ipsum, typographiae Aldinae nomine, ex prouerbio, nuncupari soleat.* Hinc uiri tunc plerique doctissimi eius officinam atque characteres elegerunt, si quid uellent in lucem emittere. *Andr. Ammonius* scribit ad *Erasmum*: *Ego Aldina malim exemplaria, cum ob latinorum, tum ob ελληνικων χαρακτηρων χαριν.* *Paullus Pater* l. c. c. V. p. 76. ALDVS PIVS MANVTIVS, nitidissimis typis suis adeo per orbem inclaruit, ut ad elegantiam formae nihil addiis posse uideretur. Adeo nitidi adeoque elegantes typi eius fuerunt, ut *Petrus Scriuerius* nobis auctor sit, ubique, illum argenteis characteribus uti, dictum fuisse. Quod deinde pro uero narrarunt *Sebragius*, *Bockenbofer*, *Matinkrot*, apud WOLFIVM T. I. p. 753. II, p. 47, 974. *Naudaeus* quoque, apud eundem T. I. p. 535. plurimum formis tribuit *Aldinis*: *illis temporibus*, inquit, *libri ex officina Aldina prodeuntes, MSCtis nitidis simillimi dicebantur*

41) p. XVIII conf. Sect. II. p. LXVII. seq. LXXVIII seqq. Recte *Scriuerius* illos alucinari ait, qui *Aldum* primum graecos libros impressisse dicant. *Ea tamen*, utor *Maittairii* uerbis T. I. edit. I. p. 34, ALDO laus debetur, quod, licet ante ipsum, *Mediolani, Florentiae, et Venetiis* excudi coeptum fuerit, ipse unus editionum numero omnes prio-  
res





*res uicerit Typographos. Tandem effecit ALDVS, ut sese ipsa superauerit, et quicquid ante praestitum fuerat, minimum sit, si ad herculeos ALDI - - labores conferatur. A. 1495. quod mireris, Aldus exiguum spatium uacuum, uel unius uocis graecae παθη, reliquit, quasi typorum graecorum penuria laborasset. Maiorum typorum graecorum ultimum specimen in Aristophanis, 1498 edito, textu dedit, ibidem uero in scholiis minorum, elegantia illis maioribus non absimilium, exiliorum, nec adeo nigrorum, primum; Conf. Maittaire T. I. p. 82, 85, 88. Laudat Decadyus Aldi graecos typos, in epistola Psalterio praemissa, antea iam commemorata. In nullis fere libris frequentiores uidentur notae, quam in illis grammaticorum libris ab ALDO editis, Theodori Grammatica 1495 et Thesauro Cornucopiae 1496. Neque tantum, ut prisca, (uid. MONTFAUCON in Palaeogr. Gr. p. 341.) unius uocis aliquot omissis literis designandis, lineolam super posuit graecae uoci Aldus, sed idem fecit in nominibus propriis denotandis, (successores habens Robert. et Henr. Stephanos) siue nomina propria a maiuscula, siue a minuscula, inciperent, uti Βαρῖνος, ἡσιόδου, ομηρον. Conf. Maitt. T. I. edit. I. p. 248*

42) p. XVIII. Non ALDVS huius distinctionis auctor. Habemus et MSCtos, et impressos libros, mox post a. 1470, in quibus uirgulae non solum apparent, sed et institutio, quomodo illis utendum sit. Lascaris a 1476 non solum punctum, sed et uirgulam, ad sententiam dirimendam, uocibus iniecit. Videntur item in *Batrachomyomachia* 1486. imo interrogationis, ex punctis et uirgula factae, usus iam in *Homero* 1488 obtinet. Conf. Maitt. T. I. p. 105. Quin 1502 apud ALDVM, raro adhuc u. c. in STATIO, uirgulae interpunctionis, et, quod dicimus, comma, adhibentur

Z

43) p.





43) p. XVIII. Vtique ille, de quo diximus, interpungendi mos, temporibus antiquis ignoratur, quibus unum tantum punctum, triplicis usus, notum est. Vid. *Leo ALLATIVS in Avimadu. in Antiqu. Etrusc. Fragm.* p. 77. et *Salmasius in PRITII introduct. in Lect. N. T.* p. 356 editionis, quam Magnifico Summeque Venerabili Theologo nostro Primario, *Carolo Gottlob HOFMANNO* debemus

44) p. XVIII. Quemadmodum *Faustus* et *Schoifferus* typis utebantur, similibus illis, qui, tum temporis, calamo manuque exarabantur, quos *Nic. Iansson* deinde quadratos et solidos fecit: ita *ALDVS* noster, non solum antiquos etiam mutavit typos, sed praeterea *iacentes* inuenit, qui uaria fortiti sunt nomina, *Aldinorum*, (*Testo d' Aldo*, uid. *Paul Pater* l. c. p. 18) *Venetorum*, (idem l. c. p. 70) *Italorum*, *cursuorum* seu *cancellariorum*, et, ut accurate cum calligraphis loquar, *Cancellaresca formata*. *MALLINKROT* apud *Wolffium* l. c. I p. 761 ueram horum nescit originem, et tantum, *non absurdum putat, si ad ALDVVM referatur*. Horum typorum egregios notemus imitatores. Primus laudabili more exemplum sibi sumens *ALDVVM*, *BADIUS* (uid. *Maitt.* T. II. p. 79) etiam imprimis in hoc caractere illum secutus est, *curauimus*, dicens, *ut quam minimum scripta quasi degenerent ab origine: imitantes, sane non taceandi, immo semper laudandi, Manutii Romani diligentiam, Graecos tamen Characteres uel nos ipsi tornaciusculos ac magis fabrefactos desideraremus.* - - Alter recte et lucri causa egregie *Aldinos* typos imitatus est, *Bartholomaeus TROT*, cuius coniiicit *Maittairius* T. II. p. 149 esse *Virgilii* editionem, sine ulla loci, anni, typographi mentione, in 8. Italico Caractere, cum eadem *Aldi Manutii* de *fae* orthographiae ratione, ad calcem, epistola, de qua iam dicendum est. Scilicet eidem *Virgilio*, nouo Caractere suo 1501 prodeunti, addidit

addidit




addidit *Aldus* ad studiosos epistolam, apud *Maitt.* T. II p. 38 in qua nunciat, de industria accusandi casum in *is* per *ei* excusum esse, ad recti patriique casus differentiam, at tantum in illis nominibus, quorum *Priscianus* meminit, praefertim in antiquis poetis. Deinde se uocibus Graecis in latino quoque sermone accentum imposuisse, ut accentu graeco pronuntiarentur. Subiunxit etiam exempli causa ea, in quibus tonis et aliis accentibus usus est, differentiae causa, in uerbis latinis, u. c. unà, óccidit, occîdit etc.

45) p. XX. Hunc Academia postea nostra, uirum historiae peritissimum, *Speneri* successorem, *Hoffmanni* antecessorem, Historicorum Vitembergae laudem seruantium, uidit, at iam 1736. morte ereptum luget. Ideo magis nobis memorandus, quod, illo auctore, relationes eruditas, publice, singulis hebdomadibus, accepimus inde ab a. 1715. Vid. *Reimanni Biblioth. Hist. lit.* p. 723, ubi tamen, quae Germanis laus debetur, etiam de relationibus publicis, ex republica ciuili, Galis attribuitur. Conf. *HEVMANNI* Consp. H. L. Cap. V. §. XXXXVI p. 294. De eodem *KRAVSIO* optime idem sentit *REIMANNVS* l. c. p. 451, 491, 718, 722

46) p. XX. Miror latine *Dominum* dici, cum eiusmodi, uix togati de turba, nihil habeant, in quod Regis uel Domini, latine, nomen conueniat. Caeterum, eiusdem, sententiae est *Cheuillerius*, cuius *Maizeaux*, cum in *l'Origine de l'imprimerie de Paris* p. 115 contendit: *cependant ce caractere Italique, pour qui Alde obtint tant de Brefs, n'est point bon pour les gros ouvrages d'imprimerie.* Quod *Maizeaux*, *Grypbios* dicit, maximam partem in libris suae officinae, his characteribus usos esse, accuratius proponendum fuisset. Est *Sebastianus Grypbios*, Lugduni,





gduni, qui Italicos adsciuit characteres, sed tantum praecipue in formae minoris codicibus, 8. et 12. Nam typis impressit etiam Romanis, maioris formae libros. Contra *Franciscus Gryphius*, Parisiis, typos romanos saepius adhibuit, pauca italico exprimens caractere

## §. XIII

Refert *Licimander* apud *Wolffium* T. II. p. 599 Aldum nostrum, in praecipua Nobilitatis Venetae classe positum, sed cum iam p. CXXXI alucinatum inueniamus eum, non dubito, cum nulla nitantur, quae profert, auctoritate, neque hic eius subscribendum esse sententiae, praesertim cum causam addit, non probabilem: *ob inuentas formas Graecas*, probabiliorem forte, ob inuentos characteres Venetos. Miror insuper, eadem pagina *Licimandrum* perperam tradidisse, *Sixtum Ruffingerum*, Argentinatem, qui primus Neapolim artificium detulit typographicum, a *Ferdinando*, rege, in nobilium ordinem relatum esse, cum apud neminem, uel illius aetatis, scriptorum, ne uerbulum quidem de hac, maximi momenti, re, extat. Sed fere diuinarem, illum uerba apud *MALLINKROT* dimidiata legisse: *Sixtus RVSINGER* - - *tanta*, a *Ferdinando*, rege, et nobilitate, exceptus *gratulatione* uid. *WOLF*. T. I. p. 718 indeque finxisse *RVSINGERI* nobilitatem

## §. XV

47) p. XXIII. Conf. Sect. II p. LXI ad quae, *Hieronymi Aleandri*, obseruo, eruditionem, existimationem, discipulosque *Maittairium* p. 100, 101 et 118 T. II. exponere. Conf. *Iouius* n. LXXXVIII p. 216

*Alexan.*



*Alexandrum Bondinum* fileti *Lex. erud. Vniu.* Fuit Doctor medicinae et artium egregius, ac graecarum literarum doctissimus, teste Aldo, seque graecae *αγαθήμερον* appellauit, in graeca ad Lectores *organum Aristotelici*, quod correxit, praefatione. Vnde non sine causa suspicor, Doctissimum *Fabricium* B. G. Vol. XIII p. 53 duos fecisse ex uno, cum scribit: *Alexander Bondinus*, cuius exstat epistola graeca in *Organum Aristotelis*, et *Alexander Agathimerus*, ad quem *Nicolaus Leonicensis* scripsit libros de there siue uipera, siquidem mihi synchronismus fauet, eodem tempore *Leonicensis* uiuente, quo hic *Alexander Bondinus* uitam degit

De *Marco Antonio Coccio*, a *Pomponio Laeto* in Academiam recepto, *Sabellico* cognominato, uid. *Niceron.* T. XII et XX *Toscanus* L. II n. LII *Clarmund* III, V, p. 64. *Crenius* *Methodor.* II p. 208. et *Fabricii* hist. bibl. f. P. II. p. 515. Primus fuit Bibliothecae *Bessarionis*, Venetias translatae, praefectus (*Boerner* p. 67) et ex eius *Enneadibus ab orbe condito*, anglus quidam, excerptam edidit *historiam SABELLICI biblicam* 12mo

*Petrum Alcyonium*, uirum impense gulae deditum, narrat *Toscanus* L. II. LXXXVIII. Vid. *Niceron.* T. VI. *Iouius* p. 250 n. XIII *Zeltnerus* p. 50

*Io. Baptistae Egnatii* insignis de typographiis Venetis, earumque origine et flore, locus, legi potest, apud *Maittair.* T. II. p. 393, dum laudem etiam *Aldi* continet. Quantum operae *Virgilio*, a *Ioanne Vualdero*, Typographo Basileensi 1534 edito, attulerit, ipsius *Vualderi* epistola docet apud *Maittair.* T. II. p. 380. In editione Argentoratensi Operum *Ciceronis* ex VIII Voluminibus constanti, ab a. 1574 - 1579 edita,





Philosophicae Classis Volumini III, ubi *officia*, et quae illis adiungi solent, leguntur, inter alia etiam huius *Egnatii* praemittitur, et epistola, ad M. *Molinum*, *Aloisii*, D. *Marci* procuratoris, filium, cui, praefultis laudibus quam maximis, hos, de *Officiis*, CICERONIS libros commendat, quippe *quibus nihil, ad uitam instituendam, utilius, nihil ornatius esse possit*, et in libros ipsos, praefatio, in qua uocem officii eiusque significationem considerat, ac praesentes libros, scriptis Tullii, in hoc genere omnibus, praeponeit. Vid. FABRICIUS Hist. Bibl. S. P. VI. p. 343

De *Tyrrbeno* nihil, (uide tamen *Cheuillerium* l. c. p. 121. 155) *Auantium* uero, scio, scripsisse in *Senecae* Tragoedias emendationes, quas excudit *Ioannes Tacuinus* de *Tridino*, Venetiis 1507 4to

Testimonium addamus *Musuri*, de opera, qua usus est *Aldus*, doctissimorum graecorum, quorum ipse *Musurus*, a *Boernero* tamen p. 125. horum ex numero exentus, praecipuus fuit. Hoc enim negotio nihil opportunius, nihil salutaris euenire potuit. In dedicatione *Pausaniae* mentionem facit eorum *συμπραττοντων αυτω (Aldo) και συνεργων των Ενετιησι Φιλοσοφων της Ελλαδικης Μεσης τροφμων*


*Erasmi Roterodami*, nihil aliud, nisi munus correctoris, apud ALDVM, curabo: cum est notissimus, eiusque uitam, auctore *Rbenano*, non solum *Clericus* suae inseruit operum *Erasmi* editioni, sed et ipse, perlectis, de industria, omnibus *Erasmi* scriptis, confecit. Agitur etiam de uitis huius uiri in *Gesammletem Briefwechsel*, etc. a. 1751 p. 627 seqq. Vid. *Fabricii* hist. Bibl. S. P. I. p. 320. BRUCKER l. c. p. 85. CLARMUND. l. I. *Zeltner*. l. c. p. 164 seqq. De elogiis denique



nique *Erasmi* conf. *Crenius* Methodor. II. p. 265, 311, 457. III 65, 160, 286, 393. et *HEVMANNVS* in *Conspectu* H. L. p. m. 153. *Scaliger* est, a *Iacobo Colino*, Abbate D. *Ambrosii* et regio *αυαγρωση*, facta literarum *μεταφραση*, sacrilegus appellatus, quo auctore *Erasmus* inter correctores *Aldinos* locum habet. Non ego nunc uehementiam *Scaligeri*, atque, ut *Erasmus* loquitur, maiorem *Oreste* insanitatem, respicio, quae ab ipso filio in *Scaligeranis secundis* agnoscitur, hacque mitigatur excusatione, patri non pro merito, *Erasmus*, tantum uirum, notum fuisse. Verum hoc nihil ad rem, ut eximamus e numero Neacademicorum, apud *ALDUM*, *Erasmus*. Nam, *Cheuillerio* teste p. 196, etiam *Albertus Pius* obiecit *Erasmio*: ipsum *Aldi*, *heri sui*, officinae ministrasse, et ibidem quaestum fecisse. Neque *Erasmus* responsione: *An ille minister est officinae, qui proprio adest operi?* Neque enim aliam operam *ALDO* addixeram. *Officina mihi potius erat ministra*, hoc amoliri uideatur; ut potius officium suum typographico anteponendum censeat, et id solum agat, ut probet, huic illud magis, quam illi hoc famulari. Conf. *Maittair*, T. I. edit. I. p. 296. His potissimum rationibus ductus, in *Scaligeri* sententiam pedibus eo, quia *Erasmus*, apud alios typographos, hoc munere functus est, ipse deinde *Aldum*, *hospitem suum*, uocans, neque illud plane a se amouet officium, tertio ipse huius famae auctorem, *Aleandrum*, de quo antea diximus, credit, qui ipsi *domestico conuictu* notus sit, eandemque, quam ipse, adeo necesse est, habuerit spartam, tertio, reuera in *Plauto* ab *Aldo* edito, egit, quod purgare studet, denique, quaeuis negandi facultatem egregie prae se fert, immo calumniandi, ambitione, qua non parum laborabat, ductus, ut postea n. 50) uidebimus. Conf. *Maittaire* T. II. p. 40, 41. In eadem contra *Erasmus* oratione, qua inuehitur  
 in

in





in illum *Scaliger*, haec quoque habet, quae ad correctores in Academia *Aldina* spectant: *In Aldi Academia bona pars doctorum uirorum inprimis uersabatur; qui nobiles et eloquentissimi emendandis typis librariis, in eadem cum Erasmo opera, pernoctabant, cum buius interdum saltem locata uideretur*

49) p. XXV. Est haec epistola ad *Haionem HERMANNVM, Frisium*, data Basileae 1514 die 31 Augusti, in qua, quae huc pertinent, ita leguntur: *De Plauto, apud Aldum castigato, quadraginta aureis, nae iste modeste mentitus est: uiginti duntaxat coronati numerati sunt, nec aliud susceperam, quam castigationem uersuum confusorum, idque praestiti in his, in quibus carminum genus erat perpetuum. De mendis tollendis nihil receperam*

50) p. XXV

Ita etiam ad *Seruatium* de hoc suo opere scribit *Erasmus*: *Adagiorum opus ab Aldo impressum, num uideris, nescio. Est quidem profanum, sed ad omnem doctrinam utilissimum. Mibi certe inaeestimabilibus constitit laboribus ac uigiliis. Itemque in praefatione Adagiorum, editionis Hieronymi Frobenii, ad philologos: Aldinam inquit editionem, me in scio, aemulatus est, Basileae Ioannes Frobenius, a quo plus septies excusum est idem opus, ac numquam sine accessionibus. Praestantissimum hoc opus, quanti uel illis aestimatum sit temporibus, doceat nos *Germanus Brixius*, qui, tu, inquit, in aedibus Aldi Manutii, singularis eruditionis tuae, tum graecae, tum latinae, egregia illa, atque inculcata specimina, Diis hominibusque plaudentibus, praebebas: inter quae extant Proverbiorum Chiliades quatuor. Mihi uero non paruam huic praestantissimo operi maculam iniussisse uidetur *Erasmus*; cum *Aldum Pium* nostrum, euergatam suam, adeo facetiis, supra modum asperis, perstringere, ipsique inuidiam con-*

con-





concitare uoluit. Fecit hoc in *Colloquiorum* suorum illo, quod *sordidam* inscripsit *Opulentiam*. Eo minus metuendum mihi est, ne hoc credatur, si paullo cogitauerimus; eximium licet singulareque *Erasmi* ingenium, nimis tamen libere locutum esse et scripsisse, nimiumque proclive fuisse ad argutias subriles cauillationesque, adeo ut praestare uideretur ipsi, amicum amittere, quam argutias ingeniosas et acres retinere. Nomina ficta, *Ortbrogoni*, *Aldo*, *Antbronii*, *Andreae Asulano*, sunt. Longum esset explanationis huius certissimae plura dare specimina; idem interim docebit lectorem *Andreas Riuinus*, in *Hecatomba laudum in Tydis secularibus ob inuentam Chalcographiam*, Lipsiae 1640, apud WOLFIUM T. I. p. 914 seqq. qui, cum hanc proponit sententiam, *baelenus*, inquit, *ux ulli aut paucis contigisse crediderim, qui recte hunc festiuissimum intellexerint Dialogum*. At salua res est in conuiciis *Erasmi*. Scimus, *Erasmm* amasse uini potum nimis largum. Iam, cum, more germanico, ut ipse de se testatur, cibi non parua sumserit copiam, omnino hac ratione, morem populi, necessariamque temperantiam, in Italia, aere mutato, pro nimia uagaque habuit parsimonia. Bone *Erasme!* haec omnia tuum in commodum. Si, in aedibus *Aldi*, germanico more, luxuriose et prodige uiuere, tibi contigisset, forte Germaniam non iterum uidisses, certe non sano corpore, non tot deinde, nobis egregios publice dedisses libros.

Aa

§. XVI

\* Habes huius rei exemplum in epistola *Erasmi*, ad *Baptistam Egnatium*, quam post mortem *Aldi* scripsit: *Audio te ALDO in re literaria iuanda successorem saltum esse, tanto eo meliorem, ut ille, per se optimus, mecum collatus, parum probari possit. Reprehendit illum uero egregie Egnatius, in respondentibus Erasmo literis: Ego, ERASME charissime, nec eum agnosco laudem, quae cum alienae famae detrimento mihi tribuatur, nec tantum mihi unquam arrogem, ut ALDO me parem, uedam superiorem esse putem*





§. XVI  
 51) p. XXV. Conf. Sect. II. p. LX - LXIII. Cuius rei in testimonium ad omnes fere *Aldi* praefationes prouocare possum, in quibus, quanta cura libris edendis studeat, publice profiteretur. *Egnatius* iterum, post mortem adeo *Aldi*, ubi eo integrior ueritas est, ad *Erasmus* in eadem, pagina antecedente allata, epistola, *quis ALDI*, inquit, *industriam, patientiam, uigiliam aequet; quis ardorem literariae rei iuuandae aemuletur?* Sed cum hoc cum §pho sequenti cohaereat, ueniamus ad illam. Conf. de *Aldi* dexteritate in libris edendis, *Garzonum* l. c. disc. 129. *Polydor. Vergili-um, Chronicorum supplem. Wolf* T. I. p. 535

§. XVII  
 52) p. XXVII *Aldum* omni labe purgare, facile erit, si attendas, *Aldum*, primo, sedulo prouocare ad ea, quae suo labore formis excendantur, deinde, nihil se immutasse in codicibus, nisi si forte in oculos uitium incurrit, sed ut nactus sit eos, (at quoties non nactus est malos?) impressisse libros; tum, illa quae sect. II. *Cbeuillerius* adducit, si accuratius expendantur, maximam partem non ad *Aldum*, sed ad eius successores referenda, uid. *Maitt.* T. II. p. 42. porro, ipsos eius hostes culpam in exemplaria deprauata transferre, denique, illa uitia, maximam partem, adeo esse leuia, ut recte *Musurus*, in epilogo editionis epistolarum graecanicarum ab *Aldo* collectarum, accuratissimae, cui praefuit, *ετι, scribat, κακεινο παντας ειδεναι βηλοιμην, μαλιστα μεν ημιν τβ αριστα διορθωσεως την πραγματειαν εξειν μελησαν, ει δε τι πβ παρεδραμεν, η διετραμμενον ειναι γραμμα, η τι τοιςτον, οιον εδε τοις ακρω φασι δακτυλω της ελληνικης γευσταμενοις φωνης, εμποδων αν προς την εννοιαν τβ κειμενα γενεσθαι. εν μεν τοις τοις Αλκιφρονος εσιν ε τα*  
 της



της εννοιας διημαρτηθαι, μηδεν ημων παρα τα εν αντιγραφοις  
 ανηκεσως εσι διεφθαρμενοις εμφοκινδυνως καινοτομειν τολμησαντων.  
 Quibus uerbis hoc addunt Auctores Actor. Eruditor. A. 1719  
 p. 500. *In tam multis et uariis, quam pauca sunt, quae  
 corrupta queritur, eaque quam caute et religiose tractauit.*  
 Dii boni, nae illius modi iam nobis magna ciuium penuria  
 est, *inquit Demea, ciuis Atticus, apud Terentium.* Ni-  
 mis delicatis illis editionum censoribus, quos auctor affert,  
 addam ego: *Richardum Crocum*, Britannum, primo in Aca-  
 demia Lipsiensi graecarum literarum professorem, eiusque  
 idem sentientem discipulum, *Ioach. Camerarium*, in Prooem.  
 in *Plutarchi* libellos de natura et effectu Daemonum, (uid.  
*Schellhornius in amoenitat. lit. T. II. p. 33 8.*) ubi tamen pro-  
 be obseruari uelim, eandem *Plutarchi* editionem, *Erasmmum*  
 ipsum, exemplaris deprauatissimi, aequae minus accuratam  
 esse, docere; *Erasmmum*, uid. *Maittair. T. II. p. 42, 43* et in  
*Vita Erasmi*, Lugdun. Batau. 1642, 12. p. 174 ubi editiones  
*Aldinas deprauatissimas* uocat; *Barthium*, Aduersar. XXVI  
 c. 27 qui, *Aldus*, inquit, *eiusque affeculae, ut non raro cor-*  
*ruperint auctores, audacia corrigendi, ita tamen, ut optimo-*  
*rum Italiae codicum, (dic, et praecipue Galliae) subsidio nixi,*  
*nobis recensentibus, enucleate omnia, non sint plane insuper*  
*habendi; et denique Ernesti V. C. qui, in praefatione in Ta-*  
*citum, obseruatum esse, contendit, a uiris doctis, Aldum sae-*  
*pe priores editiones non auxisse, nisi uitiiis operarum. Ita,*  
*qui Rhenani habeat editionem Taciti, posse Aldina carere.*  
 Sed, ut taceam, *Aldum* ipsum adeo modeste de suis sensisse  
 editionibus, *ut in ullo nondum sibi satisfecerit libro*, ubi-  
 nam, et apud alios ueteres typographos, omnibus mendis  
 carens produci in medium potest liber? Et cur quaeso adeo  
 inhumani simus, *Aldo* ita nos alloquente: *Peto a uobis, si qua*  
*non placuerint, quod, uel reprehendenda, uel non plena, ui-*





deantur, ne mihi succenseatis, sed iis, si audebitis, unde accepta sunt: uel bellis potius exterarum gentium, quibus et Graecia et Italia semper obnoxia fuit. Mendosorum enim est exemplarium culpa, non mea. Itaque si inter tot laudanda aliquid minus probandum legeritis, mementote illius Horatiani praecepti: Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis offendar maculis: quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura. Estote igitur impressionis nostrae aequi iudices, affectique beneficio minime ingrati, et misere mini laborum nostrorum. Audiuerunt hoc, quos iam citabo, eo lubentius, quod tanta auctoritate commendant editiones quanta uituperarunt illi, Aldinas. Ipse Erasmus quanto elogio ornat Aldi labores, in prouerbio, infra a nobis addito; et dum culpat, ipse tamen, conscius ueritatis, excusat. Vid. Maittaire T. II p. 42, 43. Barbivius item mutare uidetur ante latam sententiam, cum l. c. Lib. LIII c. I. ob probas editiones laudat Aldum. Memorandus est etiam Daniel Heinsius, qui exemplo editionis Theocriti Aldinae haec sua inscripsit manu: Ex hac Theocriti editione uidentur quaedam non uulgaria in reliquis recentioribus posse emendari, uid. Maittaire T. I. p. 81. Tandem immortalis BERGERVS noster pro Aldo uerba faciat, in Stromateo Academico p. 532 Aldus, ait, optimis membranis usus, ad quarum fidem libros suos exprimeret, uiris doctissimis, quos adhiberet recognitioni librorum, graui denique impensa, ut scriptores et nitidissimos redderet et emendatissimos. Nec, quod non parum hanc tueretur sententiam, odium et inuidia hominum, prohibere potuit, ut, quod ualde gaudet Aldus, industria sua potissimum, maximisque laboribus effectum sit, quod maxime cupiebat, ut scilicet iam omnes qui recto sunt iudicio, coeperint exemplaria graeca nocturna uersare manu, uersare diurna. De Antonio Codro Vrceo uid. Maittarii T. V. P. II. p. 337, 338.



338, ubi Vita *Vrcei* a *Bartbol. Blanckino* condita, excerpitur, et epistola, qua *Aldi* uocabularium, et eius sociorum (ergo non *Aldi* ipsius) auaritiam ridet, *Niceron* item T. III. Non uero mirum est, caros fuisse libros ab *Aldo* impressos, nec tamen nimium caros, si immensos sumtus eius cogitaueris, quorum passim et in praefationibus meminit, imprimis *Musuro* id inculcante, in epistola ad *Grolierium*, *Aldi* grammaticae praefixa: *Admirandus*, inquit, *ille uir*, (*Aldus*) *publicas rationes priuatis anteposuit, nulli sumptui parcens, nullum prorsus laborem detrectans, propriae tam pecuniae profusus, quam uitae prodigus extitit, ut communi studiosorum utilitati prospiceret*

## §. XVIII

53) p. XXVIII. Itaque, pergit BERGERVS l. c. hi libri tanti existimantur, ab hominibus eruditis, ut scriptis proximi ponantur. Codices enim antiquos, ac melioris notae, quorum etiam quidam interciderunt, fideliter exprimunt, eo-que digni putantur, ad quos recenseantur editiones librorum nouae. Ab *Andrea Asulano*, de *Asula*, *Andrea Torresani* de *Asula*, (in filiis *Turrifanus*) perperam uero in editionibus quibusdam epistolarum, uel splendidissima Amstelaedamensi, *Mulanus*, appellato, ab anno iam 1480 *Virgilium* cum *Seruii* commentariis, uid. *Maitt.* T. I. edit. I. p. 157. et a. 1486 *Diui Thomae* continuum in quatuor Euangelistas, habemus. Vide de illo *Maittarium* II p. 133, 134. 135 et de eius filiis, T. III. p. 510

54) p. XXVIII. Videtur *Vngerus* hic coniecisse, quod, cum, postea. 1501, quam plurimi prodierint libri ex *Aldi* officina, sine *Andreae*, *Soceri*, mentione, forte tum temporis, nescio quo casu, inter ipsos separatio fuerit. Verum, licet haec





coniectura firma sit, minimine tamen, usque ad annum 1513, prolonganda est, siquidem habemus:

*Plinii* epistolas. Venet. in aedibus *Aldi* et *ANDREAE*, soceri, mense Nouembr. 1508 4to

*Plutarchi* opuscula moralia. Graece. Venet. in aedibus *Aldi* et *ANDREAE*, soceri, mense Martio 1509 folio

Hinc forte probabilior causa esse uidetur, suis sumtibus, quosdam libros, solum, impressisse, quosdam uero, confociatum cum *Andrea*, hinc quoque illis, solum suum, *Aldi*, *his*, et suum et *Andraeae*, nomen imposuisse

55) p. XXVIII

Confirmare hoc poterò libro, uix apud illos, qui *Aldinarum* editionum Catalogos nobis dederunt, reperiendo, at tamen quammaxime, ut noscatur, digno. En eius titulum:

Recognitio Veteris Testamenti, ad hebraicam ueritatem, collata etiam editione septuaginta interpretum, cum ipsa ueritate hebraica, nostraque translatione cum expositione hebraeorum ac Graecorum, qui passim toto opere, citantur. Vbi, quantum fieri potest, monstrantur loci, qui in editione latina et graeca discrepant a codicibus Hebraeorum, per *Augustinum Eugubinum*. Can. Reg. S. *Augustini*, Ordinis Sanct. Saluat. 4to. In fine tituli positum est: Nequis alius, aut Venetiis, aut usquam locorum, hunc impune librum imprimat, Senatus Veneti decreto cautum est. MDXXIX. Insigne quoque solitum in titulo conspicitur, addito nomine *ALDVS*. In fine Voluminis: *Venetiis in Aedibus Aldi et Andraeae*, Soceri, et indicantur omnia et errores typographici, cum hac epigraphe, *omissae sunt per impressorum*

rum



rum incuriam, *hae annotationes*. Videmus hinc, usque ad annum fere 1530 libros, ex officina Aldina prodeuntes, hanc exhibuisse subscriptionem: *in Aedibus Aldi et Andreae, Soceri*. Nam inde ad annum fere 1540 haec leguntur subscripta, *in aedibus haeredum Aldi et Andreae Asulani, soceri*, postea, usque ad a. 1555 *apud Aldi filios*, et deinceps: *in aedibus Pauli Manutii, Aldi filii*. Illud adhuc etiam obseruemus, mihi probabile esse, cum certum sit, quadriennio fere toto, officinam *Aldi*, quieuisse, atque fere iam clausam fuisse, (uid. praefatio *Victoris Trincauelli*, medici, ad *Gasparem Contarenum, Themistio*, ex officina *Aldina* 1534 edito, praemissa,) hanc ipsam *Eugubini* recognitionem *Ver. Test.* ultimum librum fuisse, a quo quieuerit haec officina, ob domesticas controuersias, post *Aldi* et deinde *Andreae* mortem, de hereditate forte aut negotio typographico, siquidem *Asulani* sibi typographiam uindicare uoluerunt, quorum officina etiam adhuc supererat a. 1568.

Tandem conuenisse inter eos uidetur, ut 1533, coniunctim, publice, et *Aldi* et *Andreae* filii ederent:

*Ciceronis Rhetoric.* in aedibus haeredum *Aldi Manutii* et *Andreae Asulani* suo

Il libro del Cortegiano del Conte *Baldesar Castiglione*: nelle case delli heredi d' *Aldo* Romano et d' *Andrea* d' *Asola*, suo suocero, del mese di Maggio 8. Vineg. et deinceps *Themistium* hoc anno, et postea, qui noti sunt

56) p. XXX. *Varia de Bibliotheca Aldi*, iunioris, narrantur. Illius narrationis, quam *Vngerus* habet, ut equidem

\* Sunt tamen a. 1533 ex *Aldina* officina:

*T. Lini* Decadis quintae libri quinque, cum indicibus, in aedibus *Aldi et Andreae*, soceri, suo; qui unicus ergo liber, hanc adhuc, post a. 1529, habens subscriptionem





dem scio, *Teifforius* in *Eloges* etc. fidem primus fecit, si-  
quidem non uenditam, sed Academiae Pisanae legatam, hanc,  
ab *Aldo*, patre, primum structam, a *Paullo*, filio, et *Al-*  
*do*, nepote, deinde locupletatam, referunt, *Guiliel. SAE-*  
*DENVVS* de *libris* p. 24 *Mallinkrot.* apud *Wolffum* T. I. p. 748,  
*Gallois* et *Louis Jacob* des *Bibliothèques*, apud *Maittaire*. T. III  
p. 532. et denique *Franciscus Sebottus* in *itinerario Italico*  
L. II. c. 10

Ad alterum, quod attinet, neminem post *Aldum*,  
iuniorem, Venetiis, ex *Manutiorum* gente, typographiam  
exercuisse, facile quilibet largietur, cum non solum caelebs  
fuit *Aldus*, iunior, mulierem, quam in matrimonio habebat,  
tamquam contra leges ductam, dimittens: (*Cornel. Toll.* de  
infelicit. Litterat. ex editione *MENCKENII* p. 637) sed etiam,  
eodem ibidem *TOLLIO* teste, *Manutiae familiae* postremus,  
vitam finit

57) p. XXX Confer, sis, nos, p. 17. Scutum, quo  
ancora ab *Aldo*, iuniori, includitur, in duas partes aequa-  
les diuisum est: quarum inferiorem occupat Ancora  
cum Delphino, superiorem, aquila. Editionis *Ciceroniana*e  
a. 1583 ab *Aldo*, iuniori, editae, frontem exornant efficta,  
*Ciceronis*, *Aldi*, Senioris, *Paulli Manutii*, et *Aldi*, iunio-  
ris, capita, ancoraque cum Delphino, et sola, et cum scu-  
to. Vid. *Maittaire* T. III. p. 528. Insuper etiam Geniis,  
et aliis ornamentis, hoc *Aldi* senioris insigne, filius nepos-  
que exornarunt: Itemque, quamquam raro, signo duarum  
uirtutum utuntur

## §. XVIII

58) p. XXXI

Hic ingrattissimus essem, nisi maxima, quibus a CHRISTO,  
Viro



Viro illustri, exquisitaque eruditione florentissimo, ornatus sum, beneficia commemorarem. Neque enim solum de uariis rebus, ad *Aldum* pertinentibus, me doctissime instituit, uerum etiam e suppellectile, priscae antiquitatis florentissima, quae *Aldi* insigne illustrant, deprompsit, imaginesque arte exprimendas benignissime curauit. Igitur plurimum mecum, lector, debes praestantissimo uiro, cuius memoriam sempiterna colam obseruantia. In ipsam rem ueniamus: Antiquissimae originis inter symbola sunt et *Ancora* et *Delphinus*. Sed quamquam diuersis modis utraque apparent, tamen cum Delphino Ancoram praeter Denarium, quem uidere licet ante titulum operis, *Titi Vespasiani Augusti*, uix inueniri puto. nam quod in *Mundo Symbolico* PICINELLVS, L. VI. c. XVIII n. 113 refert, antiquos reges, *Seleucum* et *Nicanorem*, eodem hoc simbolo usos fuisse, inuestigare non uacat; hoc tantum, auctore IOBERTO, dans la science des Medailles Tome I p. 386, scio, l'ANCRE, se uoit sur plusieurs Medailles des Rois de Syrie: elle etoit une signe, que tous les Seleucides porterent a la cuisse, depuis que Laodice, mere de Seleucus, s'imagina être grosse d'Apollon et que ce Dieu lui auoit donné un Anneau, sur le quel une Ancre étoit gravée. Elegantius uero antiquiusque nostro insigni *Aldino* symbolum est, quod item exprimendum curauimus, *Delphinus*, qui gubernaculum ambit, signum imperii (quod in mare semper penes *Neptunum* est) celeritate et consilii mora temperandi. Expressum est, in amethysto uetusti operis, (cuius amethysti quoque purpura regii imperii maiestatem signat) quae annulo hominis graeci aut Romani signatorio olim inclusa fuit, nunc uero solam, inter sexcentas sui similes, in *Dactyliotheca Musei Christiani* uidere est, unde, humanitate summa huius uiri, lectori illum exhibere potuimus. Nostrum *Aldi* insigne, eo tamen





illustrius est, quod mortalium illustrissimorum symbolum fuit. Vt enim, in genere, a plerisque, principis subiectorum incolumitatem procurantis, hieroglyphicum dicitur, non solum, quod de sententia CICERONIS, *illae uerae sunt uirtutes imperatoriae, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, CELERITAS in conficiendo, CONSILIUM in prouidendo*; est enim delphinus piscium omnium celerissimus, ancora autem nauis retardandae inferuit: sed etiam ideo, quod, *quemadmodum*, utor uerbis CLAUDII MINOIS in *Alciati Emblematum* explicationibus p. 343, *delphinus futuram tempestatem praesagit, ut ait Plinius, ipsamque nauis anchoram iactam, tutius ut figatur, dirigit: eodem modo Princeps suorum saluti debet prospicere, sed potissimum saeuiente aliqua tempestate bellique impetu aduentante*; Versus enim *Alciati* in hoc insigne, quod inter eius emblemata CXLIII est, ita sonant:

*Titanii quoties conturbant aequora fratres,*

*tum miseros nautas ancora iacta iquat:*

*hanc pius erga homines delphin complectitur, imis*

*tutius ut possit figier illa uadis.*

*Quam decet haec memores gestare insignia reges,*

*ancora quod nautis, se populo esse suo!*

ubi, ut hoc adhuc addam, etiam *Seleucus, Augustus*, et post *Manutium, Philippus Chabotius*, eo usi esse, dicuntur: ita laudatissimis quoque imperatoribus, AVGVSTO, TITOQUE VESPASIANO in sui symbolum cessit. *Augustus* non quidem, suum insigne, hanc figuram fecit, unde illa forte minus firma mihi uidentur, quae *Torinus* in *Champfleury*, rarissimo itemque memorando libro, exhibito apud *Maitair*. T. II. p. 551, habet p. 43: VIRGILE *nous est segret remoinque*

*que*



que le dict Auguste Cesar auoit la dicte Ancre et Dauphin  
 en sa devise, quant pour lui en faire memoire en ses Eneides,  
 il a dict au commencement du premier liure: Maturate fugam,  
 regique haec dicite uestro: attamen idem uoluit, cum, ut  
 Suetonius in eius uita c. 25 narrat, nihil minus in perfecto du-  
 ce, quam festinationem temeritatemque conuenire, arbitraba-  
 tur; crebro itaque illa iactabat:

σπευδε βραδεως etc.

ασφαλεις γαρ ες αμεινων, η θρασυς στρατηλατης.

et: satis celeriter fieri quicquid fiat satis bene. Desumfit  
 hunc uersum graecum trochaicum Augustus ex Euripidis  
 Phoenissis, ipsumque dictum in nummis suis ita expressit  
 Augustus, ut Terminum fulmini coniungeret.\* Vid. M.  
 Adam. Grenzii Deum Terminum motum, suo loco restitu-  
 tum etc. Titus, e contrario, Vespasianus, qui idem hoc  
 dictum Augusti, simillimus enim ei erat, in deliciis habuit,  
 Ancorae et delphini figura illud in numis interpretatus est,  
 ut oculis in tabula nostra uideri potest. Hunc autem Titi  
 denarium, iquamquam Iobertus l. c. T. II. p. 397 artis nu-  
 mismaticae studiosum instituat, omnes omnis metalli numos  
 Titi communes esse, non tamen esse ex iis, qui temere ubi-  
 uis obuii sint, uel hoc indicio sit, quod Franciscus Medio-  
 barbus Biragius, in Imperatorum Romanorum numismati-  
 bus, curante Philippo Argelato, Bononiensi, Mediolani 1730.  
 p. 123. duo tantum exempla eius producit. Non tamen arti-  
 fex apud nos in ectypo, ex archetypis denariorum, qui ipsi e  
 Museo Christii τὸ παννυ dati erant, figuram expressit, sed

B b 2

cum

\* de forma Termini, quomodo Themidi, in lapide terminali cum filiabus suis, a  
 Pighio, in de simulacris Themidis et filiarum, exhibitae, aptata sit, legatur Io. Frid.  
 Hombergii ex Vach Themis, seu de ortu legis aeternae secundum sententiam  
 graecorum p. 138





cum et *Mediobarbum*, et *Aeneam Vicum*, ex editione *Bello-  
vii*, cum aliis, ad maiorem intelligentiam communica-  
tos habere, etiam ex illis quaedam transtulit. Sic partem  
primariam ex his, auersae quidem figuram ex denariis, quo-  
rum archetypos habebat, at inscriptionem ex aliis, sumfit.  
Ne, ergo, quos non uidi, describam numos, in illis *Chri-  
stii* paucis delineandis uersabor. Frons numi, quem Mu-  
seum *Christii* maxime integrum seruat, caput TITI laurea-  
tum ostendit et literas:

IMP. TITVS. CAES. VESPASIAN AVG P M . . .  
quae literae sic sunt legendae:

*Imperator Titus Caesar Vespasianus Augustus Pontifex  
Maximus.*

Ab auersa numi parte signum est, Delphinus ancoram  
amplexus ac regens. Non enim omnino bene *Mediobarbus*:  
Delphin anchorae *implicitus*; maxime ambiguus. Neque  
gallico uocabulo excusari potest, ubi *entortillé* dicitur. Est  
enim non solum huius sensus haec uox: *qui est enueloppé et  
qui est pris de quelque chose*, sed etiam aliquando: *qui enue-  
loppe quelque chose pour la prendre.* At *implicitus* latinorum  
semper tantum illam habet significationem, *qui est pris, im-  
peditus*. Ergo mens numi, certe uocis obscuritas, respuit  
*impliciti* explicationem. Non hic Delphinus spectandus  
proponitur, *quem Anchora cepit*, sed Delphinus, *qui An-  
coram capit*, ut bene illam figeret. Quis non inde uidet,  
exprimi debere: *Delphinus anchoram amplexus, circumue-  
niens* et i. g. a. Habentur uero in hac parte numi, *Titi* Del-  
phinum cum anchora exprimentis, etiam hae literae:

TR P IX IMP XV . . .  
sic legendae:


*Tri-*



*Tribunitia Potestate Nonum Imperator decimum quintum*

Lineolae in fine literarum, quas appositas uides, indicant, in hoc exemplo, quo usi sumus, cetera integriore, detritas eas fuisse, facile apud *Mediobarbum* l. c. plene inueniendas. Hoc nunc insigni *Aldi* libros quoque ornatos, uidemus, quod inde discitur, nihil unquam esse decernendum, nisi quod instituta prius consultatione probatum fuerit. Ego uero, ex hoc numo illud ab *Aldo* mutuum sumptum esse, adhuc dubito. Namque primo *Erasmus* non dicit, *Aldum* hunc nummum hac in re secutum esse, sed illud modo, se uidisse numum, tali ornatum symbolo, apud *Aldum*, quem *Bembus* illi dono miserit. Deinde neque *Delphinus Aldinus* respondet Delphino in denario *Titi*: hic enim caput *Delphini* uersus sinistram, ibi uero uersus dextram prospicit, quo etiam, recusis ab aliis libri *Aldini*, a uero typo *Aldino* distinguuntur. Potius mihi, ex *Polipbili* hypnerotomachia hoc insigne sumfisse, *Aldus* uidetur, ubi p. d. 7, eadem figura, qua in libris *Aldi*, expressum conspicitur. Accedit, factam ab *Erasmio* huius insignis descriptionem exacte cum illa in *Polipbili* Hypnerot. conuenire, cum etiam annuli iniicit mentionem, *ibidem* etiam uidendi, indeque ita prouerbum, cum annulus sempiterni temporis sit symbolum, pronuntiat: *αη σπευδε βραδεως*. Primum, publice quo imposuit illud libris *Aldus* a se editis, tempus librumque, ut adhuc compertum habeo, recte indicauit *Vngerus*. Exprimitur in tabula nostra tribus illis paruis figuris, ex diuersis eius libris diuersa quodammodo specie, desumptis. Mox nomen eius additum uides, ut in duobus superioribus, mox omissum, ut in tertia, ex maiori anchora pendente. Neque omnibus illius impositum est libris hoc symbolum, neque semper eodem loco. Nam mox in ultima tantum pagina, non in prima, mox in prima tantum, non





ultima, mox in utrisque uidetur. Vbicunque uero delphinum et ancoram intueris, egregie in nostrum *Aldum* quadrat utriusque signum: Prudentiae enim cum anchora sit symbolum, unde *Pythagoras* iam apud *Stobaeum* dicit: *Quae ergo sunt anchorae firmae? Prudentia* . . . quid nisi prudentiam undique in *ALDO* nostro uides? Delphinum uero, quod non uigil tantum sed et dormiens assidue mouetur, studiosi hominis symbolum, dicunt, qui nullum reperit felicius otium, nisi inter negotia; deinde, quod inter turbati maris procellas hilari corpore exilit, hominis quaeuis cum gaudio patientis; denique, quod grandior minores ducit, exemplum praeuentis. Quis, quaeso, studiosior, quis laborum, cum gaudio, patientior, quis maioris exempli fuit typographis, et adhuc omnibus esse potest, *Aldo* nostro, uiro, ut in *Mentelii* obseruationibus apud *WOLF.* T. II. p. 374 dicitur, *propter singularem utriusque linguae doctrinam omnium memoria seculorum dignissimo.* Antequam autem hoc symbolo usus est *Aldus*, bis eius iniecit mentionem. Primo in epistola ad *Marinum Sannutum* ante *Politiani* opera, 1498 edita, *me*, inquit, *ut editionem accelerem hortari non desinis* . . . addito tamen graeco adagio *σπενδε βραδεως*. Deinde, in ad *Albertum Pium* epistola, praefulta *Iulio Materno* 1499 in lucem misso, *sum*, ait, *mibi optimus testis, me semper habere comites, ut oportere aiunt, Delphinum et ancoram. Nam et dedimus multa cunctando, et damus assidue.* Figura denique, si tabulam adhuc semel inspicere uelis, maior, quam pueruli tenent, est insigne, quod filii *Aldi* suis imposuerunt libris. Conf. 57, p. CLXXXII. Exhibetur, ut alia typographorum signa, etiam hoc *Aldi* insigne in *Frid. Rotbscholzii* Thesauro Symbolorum ac Emblematum Typographorum etc. itemque apud *Peregrinum Antonium Orlandum* in *Origine e progressi della stampa*, cuius uide recensio-

nem



nem in *Actis Eruditor.* A. 1724 p. 102. Conf. Sect. II  
p. LXV

## §. XX

59) p. XXVII. Hic fructus erat studiorum doctrinae-  
que *Aldi*, ut in tantorum uirorum et scientia et dignitate  
illustrium, se insinuaret amicitiam, magno rei literatae com-  
modo, cum ab his auxilium undique, ad res quasuis usui  
publico obtinendas, sperare posset. Non reperitur in *Lex.*  
*erud. Vniu. Angelus Gabriel*, qui e Schola *Lascares* prodiit,  
et cuius orationem, in funere Cardinalis *Baptistae Zeni*, 1501.  
habitam, uidemus in *Augustini Valerii* opusculo, de cau-  
tione adhibenda in edendis libris, Patauii, 1719. *Moceni-*  
*cum* eiusdem aetatis scio equidem, at non *Aloysium*, sed  
*Andream* praenomine, quem *Morbofius* l. c. III, V, 3, p. 525  
scripsisse refert *de transitu hominis ad DEum*, in quo prae-  
clara multa et ingeniosa attulerit, quibus ipsa pietatis exer-  
citia, et unionem cum DEo, ex *Platone* et *Aristotele* osten-  
dere, laborauerit. De *Andrea Naugerio* seu *Nauagerio*.  
lege *Iouium* p. 169. n. 68. *Toscanum* L. II. n. LXXII. con-  
tendentem: *carmina eius candidissima suauitate condita. Ora-*  
*tiones Tullianam repraesentare eloquentiam*; idque merito,  
cum quilibet eius inspiciens opera, elegantem dictionem,  
*Augusti* seculo dignam, uidet. *Morbofium* l. c. I, III, XI, 13.  
p. 861. qui, narrat, quotannis *Naugerium*, solemne insti-  
tuisse, quo manibus *Catullianis*, tria exemplaria *Martia-*  
*lis*, uelut uictimam, sacrificaret. Continuauit iussu rei-  
publicae Venetae *Sabellici* historiam huius status; sed nihil  
reliquit, et, quae collegerat, in Gallica legatione morbo decum-  
bens, eodem die, quo decessit, 8. Maii 1529, suis manibus, in  
ignem proiecta, concremauit. Editionis operum *Ciceronis*,  
quam p. CLXXI indicauimus, *Classis Philosophicae*  
uolu-






uolumen Ildum Bembo, Illrium Iacobo Sodoletto, sacra esse uoluit. uid. *Fabric. Hist. B. S. P. VI* p. 391. 40. Vid. *Niceron T. XIII. Marini Sanuti iunioris, Leonardi filii, de origine urbis, de magistratibus Venetis, de familiis Venetis, de uitis principum et de bello Gallico*, libros, rarius exstare, duodecim uero ampla uolumina in tabulario publico asseruari, testatur *Apostolo Zenus* in praefatione ad istorici delle cose Veneziane, i quali hanno scritto per publico decreto, *Aldus* huic *Sannuto Politiani* 1498 edita opera dedicauit. His Venetis patritiis, addo ego *Hieronymum Donatum*, cui *Dioscoridem* et *Nicandrum* dicauit *Aldus* 1499. Vide de illo *Iouium* n. XXXVI. p. 123 *Toscanum* L. II. n. LVIII. Ex *Morbofio* I, VI, 3, 5, p. m. 978, qui *Gaddium*, testem affert, scimus, luculentas scripsisse *Donatum* orationes, a *Morbofio* uero numquam uisas. Eius apologeticum ad Graecos de principatu Romanae sedis, eiusdemque ad *Oliuerium* epistolam, in qua Ecclesiam Rom. primatum Ecclesiasticae dignitatis obtinere, et *Petrum* esse petram et fundamentum ecclesiae, comprobatur, recusa uides in Apparatu altero ad SS. Concilia *Labbeo-Cossartiana*. Venet. 1728. *Petrum Crinitum*, cum, mortuo *Politiano*, Patriciis Venetis, qui ingenia literis excolebant, et genere et censu impar, promeruerit tamen, ut apud eos et fodalitatis et magistratus munus impleret, hic quoque illis subiungam, qui in epistola ad *Alexandrum Sarcium*, Bononiensem, *bominem*, ut *Aldus* ait, *uerum, ac integrum uitae, scelerisque purum*, ALDVM, nostrum *Aldum*, nominat, inter eius amicos, ideo quoque referendus. Vide de *Crinito Seruuium* in *Biblioth. Antiqu.* 1701. p. 411. seqq.

60) p. XXXII. *Aldus Valerium Maximum* 1502. editum inscripsit ideo *Ioanni Ludbrancio*, Polono, iurisperito, ac  
Posna-





Posnaniensi Episcopo regnique Poloniae a consiliis, his inter alia uerbis usus: *typis emittere ex Academia nostra . . . in hemicyclo, Patauii, in cubiculo tuo sedens, cum et ego una essem . . . pollicitus es tua impensa ad Dacos usque mittere, librorum inueniendorum gratia, quod ibi antiquorum librorum plena turris esse dicatur. . . addidisti te ipsum eo, si opus fuerit, profecturum*

## §. XXXI

61) Vitio typographi 62) p. XXXV Quamquam scio, non apud omnes bene hanc *Borgiam* audire, tamen luculentius est apud me *Aldi* testimonium, uiri inculpatorum morum, qui doctrinae suae rationem et subtilitatem coniunxit, nec unquam adulatorem egit, cum tantis uirtutibus claram illam commemorat, et uel in aetatis flore constitutam *Diua* appellat. Dux Ferrariae quoque illi dicitur, ac si sola reipublicae praefuisset. Sic enim inscripsit: *Aldus Man. Rom. Diuae Lucretiae Borgiae Duci Ferrariae S. P. D*

*Leo X. Papa* item his proceribus addendus erit, qui ita ex animo *Aldum* dilexit, ut passim familiariter eum, *Aldum suum*, per literas compellaret atque hortaretur. *Wolfius T. II. p. 372.*

62) Omissus a tylotheta p. XXXV Etiam in *Ouidio* (Sect. III p. CXV. n. CVI) ab *Aldo* edito, haec trium Papatum priuilegia leguntur, sed ordine inuerso, 1513, 1502, 1502.

## §. XXXXII.

63) p. XXXXII *Vesini* inscriptio ianuae Musaei, quam *Baylius* in *Lexico T. III. p. m. 844, 845* cum titulo typographiae Aldinae comparat, haec erat: *Amice, quisquis huc uenis, aut agito paucis, aut abi, aut me laborantem adiua*





64) p. XXXXII

Iam 1519 *Iacobi Antiquarii* prodierunt epistolae impressae apud *Leonem*, opera *Cosmi Veron.* cognomento *Blanchini*. Perusiae. Leguntur hi hendecasyllabi in ipsa illa *Aldi* dedicatione, in cuius fine sic *Aldus* ad *Antiquarium*: *Libuit hic subiungere hendecasyllabos, quos, cum ueni ad te Mediolanum, lusisti ex tempore, prae summo gaudio aduentus nostri, ut faciant et hi fidem mutuam amoris nostri:*

*Aldus uenit etc.*

§. XXIII

65) p. XXXXIII

Laudat hanc Grammaticam latinam, quatuor uicibus recusat, *Torinus* l. c. p. 44, 52. Minus considerate autem sane non indoctus *Salengrius* apud auctorem: *Alde est le premier, qui prit la peine de faire une Grammaire sur la langue latine.* In tanta copia eorum, qui saeculo p. C. N. XV tenuem grammaticae latinae, post ueteres emendandae, laborem susceperant, hic unus et primus putetur? Addit ille quidem *dans les formes*: sed ne hoc istud quidem temperamento satis rectum

66) p. XXXXIII

Non meminit eius *Fabricius* in *Bibl. Gr. Musurus* eam *Aldi* uocat filiolum, cuius ad *Grolerium* epistolam huic praefixam, habet *Maittairius* T. II. p. 53. lectu dignissimam, cum in laude, tota quanta est, *Aldi* occupatur

67) p. XXXXIII

Ex ipso *Horatii* *Aldini* titulo, quid *Aldo* debeatur, satis apparet, unde illum hac apponamus:

*Q. Horati Flacci* poemata, in quibus multa correctae sunt, et institutiones suis locis positae, commentariorum quodammodo uice funguntur. Vnde uiginti metrorum genera, et quatenam sint, et e quibus consistunt pedibus, et ante uolumen simul habentur, et intus in uolumine, suis locis

Anno-





Annotationes nonnullae in toto opere, in quibus uel aliquid mutandum ostenditur uel cur mutatum sit, ratio redditur.

Triples ergo *Aldi* in *Horatio* suo labor fuit. In fine uoluminis: Venetiis apud *Aldum Romanum*, mense Martio MDIX, et statim post, excerptum datur priuilegium *Aldinum*, quod uide Sect. III. p. CVII n. LXXIII. In dedicatione ad *Iafredum Carolum*, qui tum summum, Praesidis Senatus Regii, Mediolani, munus gessit, quo illustrissimus nunc fungitur Comes *Carolo Pertusati*, quem, non solum eximium amicum et amplificatorem dignitatis uirorum doctorum, laudat *Christius V. C.* sed imprimis erga se, ante plurimos annos, Viennae, humanitatem gratiamque huius *Maecenatis*, depraedicat. Dicit in hac dedicatione *Aldus*, se iam ante 7 annos *Horatium* edidisse, (sed 8 sunt: nam prodiit a. 1501. mense Maio, cum dedicationis epistola ad *Marinum Sannutum*,) nunc autem, pergit, *id opus iterum damus sed multo accuratius emendatiusque*, tandemque finem sic illi imponit: *Vale praesidium et dulce decus meum. Venetiis Tertio Calendas April. M. D. IX.* Hanc dedicationem sequitur singularis libellus, sine nouo titulo, 22 foliorum, qui non solum metra *Horatiana* considerat atque explicat, sed quamplurimorum locorum *Horatii* correctiones criticas continet, auctore *Aldo*; Has denique res excipit uita *Horatii*, ex *Crinito* desumpta, ipsae *Odae*, unaquaque earum singularem iterum explicationem metri habente, sine dubio etiam ab *Aldo*

68) p. XXXV. Vid. *Maittair.* T. I. p. 48 - - 51. De *Aesopi* et *Gabriae* fabularum latina sua conuersione quid dixerit *Aldus* uide apud *Fabric.* B. G. Vol. XIII p. 609, 610. *Arati* quoque uitam, quem cum *Iulio Materno* 1499. edidit, e graeco in Latinum conuertit *Aldus*. De *Homero*, quod affert auctor, altum apud diligentissimum *Maittairium* silentium.





69) p. XXXXV

*Ouidio*, qui tamen post eius demum mortem 1515 prodiit, praemisit elegantem *Vitae Ouidianae* descriptionem, 8. paginis absolutam. (Sect. III. p. CXV n. CVI) *Statio* uero addidit singularem libellum, eiusdem formae, eadem charta impressum, qua *Stadius* ipse, hoc elogio: *Orthographia et flexus dictionum graecarum omnium apud Stadium, cum accentibus, et generibus, ex uariis utriusque linguae autoribus.* Quinque implet chartarum plagulas, praefatione ad *Marc. Musurum* ornatus, in qua *ALDVS* narrat, quondam in hoc *Lexico Musurum* ei etiam auxilium praebuisse, cum forte, inquit, in *Academia nostra esset, profectus ab Alberto nostro, Carporum Principe, et gloria huiusce aetatis philosophorum, quem . . . graecas literas accurate docebas.* Negat enim, eiusmodi se esse, ut alicui, uel minimam, ob aliquid praestiti auxilii, gloriolam, detrahat

70) p. XXXXV. De *Dictionario graeco* Vide *Maittair*, T. I. p. 637. Cui addo *Alphabetum graecum* 1495 ab *Aldo* editum, cum in eo de potestate literarum omnium et *Diphthongorum* egerit, ita, ut hac de causa maxime eum laudauerit *TORINVS* l. c. fol. 44, 52

71) p. XXXXV. De *Urbano*, hoc *Bolzanio, Valeriano Bellunensi* uid. *Fabricii* B. G. Vol. VII. p. 14. qui, cum, ut hucdum credo, diuersus sit a *Ioanne Pierio Valeriano*, nescio, cur taceatur in *Lex. erud. Vniu.* utique, inter eruditos, locum non minimum meritis, quod primas inter *Grammatices graecae* Latinos scriptores tenet, quae primum 1497 apud *Aldum*, prodiit, quaeque a. 1499 iam adeo rara fuit, ut *Erasmus* ad *Iacobum Tutorem* scribat: *Grammaticam Urbani graecam summo studio uestigavi, ut eam tibi mitterem. Sed iam diuendita fuerat.*

§. XXIII





## §. XXIII

72) p. XXXXVII


Ego uero, cum p. XXXXVII *Andreas Asulanus* quatuor *orbos nepotes* dicat *Aldum* reliquisse, non addita sexus differentia, insuper uero, *Paulus Manutius*, filius, Epistolar. L. V. ep. VIII. p. m. 312 (edit. *Iac. Thomas.*) ad *Lambinum* scribat, *quaesieram autem per literas a sororis meae filio IULIO CATONE*, certum habeo, tres tantum filios, unam autem filiam, quae *Catoni* cuidam nupsit, *Aldo* superstites fuisse

73) p. XXXXVIII. At uerosimilius puto, ut ex numero 76) apparebit, *Antonium* et *Paulum*, *Manutios*, Bononiae typographicam artem exercuisse. Nam cum *Paullus* inter quinque aut sex, uno biennio, quas habuit conditiones, omnes reiecisset, uid. *Paulli Manutii* Epist. II, 5. tandem obtinuerunt Bononienses, ut in eorum urbe officinam instrueret, quo 1555 mense *Iulio* iter adornauit. (uid. *Colleg. Epist. Ital. Vol. III p. 138*). Verum cum, quamuis liberaliter exceptus, morbis confectus, aut coeli Bononiensis grauitatem, aut maximos eius anni diuturnosque calores ferre non posset, eodem adhuc anno, aut circa sequentis initium, Venetias rediit, et in fratrem *Antonium* curam Bononiensis officinae transtulisse uidetur, ut ex mox dicendis perspicuum erit. *Maittauius* igitur T. III p. 509. partim recte negat contra *Zeltnerum*, sex annos Bononiae *Paulum* fuisse, partim uero perperam, plane ibi fuisse. Nam quam affert rationem, se nullum ibi impressum uidisse librum, iam nulla est, cum habes et ab *Vngero* allatum, et hunc etiam: *Taxaquetii*, Hispani, *de tota iuris et discendi ius ciuile ratione*, Bononiae 1556: id tamen quoque non negandum, hos tales libros rarissimos esse

Cc 3

74) p.





74) p. XXXXVIII

*Selectarum harum uariorum epistolarum betruscarum* per plures annos, a se suisque amicis \* maxima cura, conquisitarum, primum iam prostabat a. 1544, uolumen, ipsumque alterum colligebatur, uid. has ipsas epistolas Vol. II p. m. 21. init.) quod item editum iam fuit 1549 (uid. *Collect. Ephemer. Ital.* Vol. III p. 125.) tertii, quam *Vngerus* habet, uoluminis editionem nescio, quamquam illam non ignoro, quae cum prioribus repetitis, 1564 prodiit. Vid. *Morbofius* l. c. T. I. I, 24 p. m. 308 qui annum trium uoluminum ab *Aldo*, iuniori, editorum ponit 1554

75) XXXXVIII. Digna est *Victoria Columna*, quae mihi tantum ex *Toscano* L. III n. CLIII constat, uxor *Piscariae* reguli, ut eius hic paucis ex *Toscano* dem notitiam. Post carmen, quo illam celebrauit, ita pergit: *Ex totius Italiae nobilissima Columniorum familia, Romae orta est Victoria, corporis animique bonis instructissima foemina, quae cum Daualo, Piscariae, ut uocant, Marchione, fortissimo imperatore, non diu in matrimonio uixit. Sed quamquam integra aetate esset, perpetuam sibi ultro indixit uiduitatem: quodque uitae supererat, sacris literis, et caelesti summo bono meditando, dicauit. Etrusco carmine nulli, post Petrarcham, secunda, uaria poemata edidit, quibus mariti praematurum obitum deflet, ac mortalium rerum amorem irridens, coelestium bonorum desiderium exprimit.* Hunc ab *Vngero* laudatum librum recenset *Ioannes Cinellus* nella Scanzia VIII della Bibliotheca Volante, p. 82. Eiusdem item nonnullas epistolas habet *Porcacchius* in *Collectione epistolarum hetruscarum*. LXV fol. 264

76) p.

\* Iam a. 1542 *Benedictus Rhambertus*, in iis undique conquirendis laborabat, et imprimis a *Franc. della Torre* petebat ad *Episcopum Veronensem* scriptas, et *Torii* epistolas, qui tamen respondit a. 1544: non posse se ipsi satisfacere. uid. *Sciolto di Lettere* Vol. III p. 28 seqq.



76) p. XXXXVIII. At mihi, hoc ad liquidum uideatur posse perducī. Ego enim, non nisi tres filios *Aldum*, seniore, superstites habuisse *Manuzium*, *Antonium* et *Paul- lum*, ex dieendis, spero, ostendam. Scilicet *Paullus Binos* modo sibi esse fratres in L. II. epist. XXI scribit, neque ul- libi, nisi duorum, meminit, *Antonii*, atque illius, qui *Asulae* habitabat, maioris, ut uidetur, natu, cuius nomen non ex- primitur, at a me putatur, *Manutii*, esse. Fundamentum est in epistola *Asulani* ad *Erasmum* scribentis (edit. Amstelod. epist. *Erasmi* col. 1667.) *fili Aldi mei te multa salute imperti- unt*, (ITEM) *Manutius primogenitus, ac Antonius et Paullus, Aldi filii*. Illud, ITEM, mendosum esse, uix dubitandum, ex *Manutii* forte natum: si quidem in huius ipsius epistolae in- scriptione, foedissime, *Mulanus* pro: *Asulanus, Aldi* socer ap- pellatur. Ergo *Franciscus*, quem *Bononiae Vngerus* uult cum *Antonio* exercuisse typographiam, exeat ex familia *Aldi*. Non hoc, cum de *Antonio* id scimus, de *Francisco* ignora- remus, neque, cum anno 1568, aut insequenti, diem obiit *An- tonius*, si *Franciscus* *Bononiae* quoque fuisset, typos illius graecos, incuria quorundam amissos, conquereretur *Paul- lus* L. VII. ep. VI. *Manutium* fratrem auctore *Paullo* sci- mus, diu aegrotasse, cum 1557. A Deum INuiseret *Paullus*, (*Cic.* de oratore L. I. p. m. 365 qui INgrediuntur AD studia), ibidemque 1565, ab omni remotum grauiore cura, tranquil- lo animo, ita sibi uixisse, ut rem domesticam non contemne- ret. Vid. *Paullus Manut.* L. I. ep. XVI, L. VII ep. VI. *An- tonii*, qui dedicationis epistolam ad *Ant. Barbarigum* itineri- bus in *Turciam*, *Persiam*, *Indiam*, *hetrusco* sermone, apud *Manutios*, 1545 editis, praemisit, ita flet obitum *Paullus* L. I. ep. V. *Obiit frater, is, qui bonitate praestabat, ualebat in- genio, excellebat industria, factus ad omnia maxime omnium uidebatur*. Meminit *Antonii* quoque in *Catalogo Antiqua- riorum*, qui numos ueteres possident, *Aen. Vicus* libro, del- la

la





la Medaglie, praemisso, et in ipso libro II. c. 18 p. 98 ubi dicitur *M. Anton. Manutius*. Sed est titulus honoris *Messer*, quem ubique fere praemittere solet *Vicus*. *αλλα ταυτα μεν δη ταυτα*

77) p. XXXXVIII. Legis iam *ανεκδοτα* uitae *Paulli Manutii*, quae a *Io. Petr. Κοηλιο*, meritis in rem literatam maximis, iam dudum immortalis, nobiscam communicata sunt. *Bernbardus Parthenius Spilimbergius*, cum sibi in animum induxisset, regulas poëseos eo habitu induere atque proponere, quo ueteres quondam, inprimis *Cicero*, Rhetoricen aliasque scientias ornarunt, scilicet, forma dialogi, a quibusdam uiris doctis habiti, inter alios *Paullum Manutium*, qui tum temporis Venetiis amicus eius uixit, dignum censuit, ut ex iis esset, qui huic interessent societati colloquentium inter se erudite. Quod, ex *Spilimbergii*, apparet, de poetica imitatione 4to Venetiis 1565 edito, et *Maximiliano*, Imperatori, cum praestantissimo carmine latino, dicato opere; adeo, in primis apud nos rarissimo, ut uel *Morhofius*, licet summo quaesierit studio, nunquam illud uidere posset. Primus hunc uirum eiusque scripta nos docuit *Reichbardus*, Brunsvigae Professor, quocum, cum adhuc Altonae esset, ipse *Koblius* hoc de imitatione poetica opus, ante aliquot annos communicauerat, ut Goettingensibus nouis literariis aliquid inferere posset. Fecit quidem deinde etiam *Goezius*, ante paucos annos Dresdae Bibliothecae Regiae praefectus mortuus, huius eximii Rhetoris poetaeque itali, eiusque scriptorum mentionem in T. III. *der Merckwürdigkeiten der Dresdnischen Bibliothek*, sed minus plenam, ut adhuc optanda sit accuratior. In hoc igitur libro *Spilimbergius* p. 9. ipse de hac sermones mutuos miscente societate ita uerba facit: *Recitemus autem sermonis alicuius memoriam, quem inter excellentissimos homines habitum meminimus, ut qualis eorum, in uniuerso hoc genere, imitandi sententia fuerit, praesens aetas posterique*  
ali.




aliquando intelligant. p. 10. Sed, ut ad id, quod suscepi, referam me, cum superioribus annis Venetiis essem, ubi totum illud tempus, quod mihi a publico legendi munere\* uacabat consumere statueram, uisum fuit Triphonem Gabrielium, omnium humanitate politissimum hominem, officii causa conuenire. Accepi a domesticis, una cum Io. Georg. Trifino (auctore italiae liberatae) conscendisse, Murianumque ambos conuectos. Cum eodem et ipse aduehi statuissem, ne pulcherrimam occasionem clarissimorum dimitterem, paulumque processissem, ecce tibi, Franciscum Luuifinum, praetereuntem, conspicio. Is repente, quasi Mercurius quidam, praesto mihi fuisse uisus est, qui simulac me adesse animaduertit, qua solet esse humanitate, statim accurrit ad me, atque ubi nos inuicem consalutauimus, nosque inter nos sumus peramanter complexi, quinam te istuc uentus, Partheni, inquit, appulit? Studium incredibile tui, inquam, uidendi. Nihil enim longius umquam mihi uisum est, quam huius anni spatium, quo tua suauissime consuetudine carui. Pergit ille: unde nunc mihi praesto fuisti? A Triphone, inquam, quem cum intus non esse, Marianumque concessisse, audiuerim, mirum illius proficiscendi desiderium mihi iniectum est. Quod quum audisset, ab amicis uenia impetrata, ad me conuersus, quis sanus, inquit, committat, ut eius loci atque, hortorum amoenitatem, doctissimorumque hominum congressum tam optabilem praetermittat? praesertim, cum inter eruditos eiusmodi sermonem de poetica institutum iri, atque eius rei fama commotos, plerosque, tum ex hac, tum ex alienis ciuitatibus, nobilitate ac scientia literarum insignes, et uiros et adulescentes eo se contulisse audiam. Quod si a PAVLLO MANV-

D d

TIO

\* Hinc perperam Goezius l. c. dicit Spilimbergium in loco quodam, qui propius aberat Venetiis, humaniores literas professum esse, quod deinde in *Lex. Erud. Vni.* itidem repetitur. Videtur Goezius Murianum pro loco illo, quo, prope Venetias, docuerit Spilimbergium, habuisse. Sed aut non contextum legit, aut, si legit, non intellexit





TIO, omnium optimarum artium studiis erudito, et nobis coniunctissimo, impetrare aliquis posset, ut se a grauissimis occupationibus subducens, nobis morem in eo gereret, ut se Murianum perduci pateretur, nihil umquam nobis opportunius accidisse arbitrarem. Placuit consilium. Quamobrem ad hominem properamus, rem exponimus, facileque pro ingenii et morum suauitate impetramus. Conscedimus, eo peruenimus. In hortos intromittimur, in quibus iam senes grauissimi, densis umbraculis opacarum frondium tecti, confederant, cum molliter ac iucunde aurae inter frondes quasi adblandientes adspirarent, nosque suauissimis modis omnes accepissent; ad Manutium conuersus Trissinus, opportune Manuti, inquit, hoc sane tempore in aciem fortissimus quisque descendit . . . sed si placet, consedite. Morem gessimus. Tum Tripho, queri nos (inquit) ad id quod nobis propositum est, referimus, ut scilicet quod quisque de poetica imitatione sentiat, proferat. Nolo enim putetis, me quidquam maluisse aliud, quam ut morem nobilissimis adolescentibus gererem . . . Atque hoc, eximia inter Trissinum, Manutium, et Luuisinium, aliosque, collocutio, de optima imitandi ueteres poetas methodo, initium habet, et continuatur. Pulcherimae in hoc dialogo, qui ex Libris V constat, regulae imitandi proferuntur, atque eximiis confirmantur exemplis, adeo ut mereatur hoc, elegantissime latine compositum, opus, iterum publici fieri iuris. Inter alia res praestantissimae Paulo Manutio dicendae tribuuntur: Prudenter (p. 68) factum est, Manuti, a te, quod pulcherrimam consuetudinem, prope iam desitam, ab obliuione uindicasti. Non tamen satis illud, pergens, inquit; tuae enim est humanitis, illud adolescentibus nostris adhuc obscurum atque inuolutum aperire atque explicare. Id autem tam belle a te factum iri, putamus, quam ipse exsequi ac praestare scribendo potest. Non enim instar eorum es artificum, qui, cum citbaras conficiant, pulsa-



*pulsare ipsi nesciunt.* Tandem *Manutius*, post multas preces, hanc artem ostendit, modo plane excellentissimo. Denique p. 148 dicitur: *Singularem quemdam amorem ac studium tibi atque Manutio nostro debemus, a quibus ea nostri adolescentes didicere, ut incertum sit, an a quouis alio tot simul cognoscere potuissent. Sed quoniam aduersperascit, etiam calor fractū uis est, Venetias reuerti satius fuerit - - Haec puer:* (omnium ultima uerba) *quibus cum incredibiliter fuissent omnium animi recreati, consurrexere. Cumque mox nauiculas conscendissent, unusquisque statim domum reuectus est*

Licet, lectoris cum pace, duas adhuc epistolas interferere hoc loco, in epistolis *Paulli Manutii*, quae in manibus omnium uersantur, non reperiundas. Extant in Libro etiam raro, qui ex *Typographia Aldina Veneta 1548* prodiit, eodem anno, etiam apud *Sebast. Gryphium*, Lugduni, impressus. Ita inscriptus legitur: *Petri Paschalii aduersus Ioann. Manlii parricidas actio, in senatu Veneto recitata - - eiusdem epistolae in italica peregrinatione exaratae.* In his nunc, ultimarum duarum una, est *Petri Paschalii ad Paullum Manutium* et altera *Paulli M. ad Petrum Paschaliū*


PETRVS PASCHALIVS  
PAULLO MANVTIO S. D

Orationem nostram, de qua tecum mane sum locutus, *Manuti* doctissime, ad te mitto: quam uelim perlegas, mihi que significes, num illam in apertum proferendam putes. Quodsi abs te probabitur, in lucem emittam. Non enim dubito, quin, tua unius approbatione, omnes omnium obtrektorum aculei, facile excutiantur. Illud uereor, ne, dum quosdam leuiter pungo, grauiter, quos nollem, offendam. Tu haec omnia, pro tua prudentia considerabis,

Dd 2

meque





meque perpetuo diliges. Reliqua coram: ad te enim sub  
uesperam cogito. Vale Venetiis Prid. Cal. Sept.

PAVLVS MANVTIVS  
PETRO PASCHALIO S

Orationem tuam cum legissem, ut homo occupatus, fa-  
tis diligenter, ita probavi, ut ab aetate tua purius aut ele-  
gantius quidquam uix audeam expectare; tibi que, quod ad  
me attinet, auctor maxime sum, ut in lucem emittas. Con-  
sules enim laudi tuae plurimum: et est praeclarum, appa-  
rere in te, admodum adolescente, iam muturae uirtutis  
exemplum, quod, quam non multis contigerit, non ignora-  
mus. Itaque spero fore, ut ii, qui Reipublicae praesunt,  
de eo, quod subuereri uisus es, aequo animo, immo uero etiam  
libenter, gratificentur. Pertinent enim adhuc urbis digni-  
tatem, ut haec tam egregia doctorum monimenta Venetia-  
rum nomine subscribantur. Non tu igitur ab illis, sed illi  
a te et, beneficium et quodammodo splendorem accipient.  
Vale Venetiis MDXLVIII Cal. Sept.

Videtur *Manutius*, cum adeo hanc laudasset orationem,  
illam statim suo prelo commississe; adeoque *Gryphii* editio-  
nem uel recusam, uel altera uice eodem impressam anno:  
nam contenta libri digna sunt, ut ab omnibus legantur

78) p. XXXXVIII. Ipse hoc nos docet in epistola, ad  
*Maffei* Leonem, Ciceronianis ad diuersos praemissa. Ita-  
que, inquit, cum de suscipienda prouincia (librorum imprimen-  
dorum) tandem mecum constituissem, primos labores et uigi-  
lias nostras ad emendandas Ciceronis epistolas, quas familia-  
res uocant, conferre uolui

Non fastidiet lector, spero, etiamsi multa in hac Spho,  
quae dedimus, legerit; si merita Manutiorum, prorsus exi-  
mia



nia, cogitauerit. *Rara*, inquit MALLINKROT apud WOLFI-  
VM T. I. p. 735 *et memoranda Manutiorum felicitas est,*  
*quod ut olim tres continua serie Roma uidit e Curionum familia*  
*oratores, ita simili ratione haec gens totidem produxerit, non*  
*typographos solum excellentes, sed etiam uiros doctissimos et*  
*eloquentes ad unum omnes.* Et THUANVS, ob eadem haec  
merita Manutiorum, Lib. LXVIII quam honorificentissime  
de eorum familia sensit, Libro uero XXV. *ei plus debere Cbri-*  
*stianum orbem, censuit, quam cuiquam fortissimorum belli du-*  
*cum, ob propagatos sineis, patria umquam debere possit* . . .  
*renascentes enim literas ortum suum Manutianae familiae*  
*debere.*

Vnde *Angelus Rocca* in bibliotheca Vaticana de his tribus  
*Manutiis* ita lusit:

*Aldus Manutius* senior moritura Latina  
graecaque restituit mortua ferme typis.

*Paulus* restituit calamo monumenta Quiritum  
utque alter *Cicero* scripta diserta dedit.

*Aldus* dum iuuenis miratur auumque patremque  
filius atque nepos, est auus atque pater.

§. XXV

79) p. XXXXVIII. *Iac.* uero *Mentelius* recte posuit  
annum *Aldi* emortualem a. 1515

80) p. XXXXVIII. De duplici, quae hic coniecit VN-  
GERVS, *Bessarionis* editione, uera demonstrauit *Boernerus*  
l. c. p. 75, 76. Vide etiam Sect. III. p. Cl n. LV

81) p. XXXX. Ex quibus non temere colligo, deceptos  
esse scriptores uitae *Pauli Manutii*, qui illum ab *Aldo*, patre,  
institutum esse uolunt, utpote *Io. Imperialis*, et *Bullartus* in





Acad. des Scienc. Nam qui hoc potuit esse anno 1513 nato demum *Paullo*. Neque est, quod obiicias L. III. ep. 4, p. m. 206 ubi *Paullus, se*, ait, *a prima pueritia, domestico patris instituto, recte de uirtute sensisse*. Nam nihil aliud intelligit *Paullus*, quam, idem quod Patri institutum illi esse; domestico exemplo se ad uirtutem, quae uisque praeclara excitari posse, quod ipse discas ex Epist. L. III ep. 34, VIII, 13 et praefat. in *Valer. Max.* 1534 editum, quae in epistolar. et praefat. *Paulli Manutii* editione *Thomasiانا* non reperitur


82) p. L. Ita *Aldus Aloisio Mocenio*, Patritio Veneto, *Plinii* epistolas, paneg. *Sallustium* de Grammat. etc. 1508 dedicat: *solebam superioribus annis cum - - Trogi Historias - - inuentas esse audiebam, nugas dicere ac fabulas; sed ex quo ex Gallia, ubi legatum agebas, has Plinii epistolas in Italiam reportasti, in membrana scriptas, et diuersis a nostris Characteribus coepi sperare - - sperat id adhuc, 1513 cum Trogum Pompeium edidit, imo asseuerat, extare illum, et penes amicum quendam suum, frugi hominem, ac doctum et fide plenum. Vbi uero non leuiter irascitur audaculis ac temerariis quibusdam, qui diminuendis et mutilandis alienis libris delectati, totam in eo studio curam operamque posuerunt - - qui utinam ante, quam tam iniquum facinus aggredierentur, ipsi uel mutilati uel discerpti occidissent.* Conf. *Fabricii* Bibl. Lat. T. I. p. 530

83) p. L. In eadem hac praefatione *nec despero*, inquit, *LIVIVM quoque - - inuentum iri.* Vid. *Fabricii* Bibl. Lat. T. I. p. 196 seq. Est etiam longa lis de fragmento quodam *LIVII* reperto in *Ephemerid. Parisin.* T. V. p. 149

## §. XXVI

85) Cum totus hic libellus memoriae ALDI PII MANV-





TII ROMANI reuouandae dicatus sit, nihil, ad hunc finem impetrandum, aptius mihi uidetur, quam, ut cum auctor VNGERVS laudum hic aperuerit in ALDVM campum, illum percurramus

*Musuri* initum faciat in *Aldum* elogium, quod legitur in epistola ad *Grolierium* Aldi Grammaticae Graece 1515 praefixa. *Refugit*, inquit, *animus et quodam inusitato torpore captus abhorrebat, saeuae illius ac damnosae mortis mentionem, quae nobis ALDVM, beneuolum parentem, benignumque fauorem eripuit; quae bonis literis ac disciplinis, in lucem paulatim emergentibus, tenebras iterum offundere uisa est. O inclementem et immaturam mortem, nulli uiuentium magis, quam mihi deplorandam. Quod enim ego nunc in hac alma Ciuitate, in hoc totius Italiae firmamento, singularique uirtutum ac laudatarum Artium domicilio, Graeciae priscos auctores enarrem, illustri frequentique auditorio iuuenum nobilissimorum; quod a probis omnibus diligar et commender, quod, denique, mei uoti compos effectus sim (nihil enim mihi fuit unquam optabilius, quam ut graecae linguae propaginem, quae Turcarum crudelibus lacertis excisa radicitus, solo in patrio misere iacebat, apud Italos rediuiuo germine pullulare uiderem) id totum non solum illustrissimi Senatui Veneto, qui bonarum literarum cultores, amplissimis praemiis semper fouit, ac liberaliter euexit: uerum etiam Aldo Manutio, qui libros studiosae iuuentuti suppeditauit, a me referri debet acceptum. Cum enim admirandus ille uir publicas rationes priuatis anteponeret, nulli sumtui parcens, nullum prorsus laborem detrectans, propriae tam pecuniae profusus, quam uitae prodigus extitit: ut communi studiosorum utilitati prospiceret. Quapropter saepe numero calamus arripueram, ut haec exararem, sed calamus arreptus, doloris, ob amissum Aldum concepti, uulnus, quod nondum cicatricem obdu-*

obdu-





*obduxerat, refricabat. Veruntamen amici, quibus non potera-  
 ram, sine scelere, postulantibus, quicquam recusare, me tandem  
 cum appellarent, promissique admonerent, quamquam diu ve-  
 luctatum, expugnarunt. Rogitas cuinam promisso meam fidem  
 obstrinxerim? Explicabo paucis. Aldus non modo libris an-  
 tiquorum publicandis, uerum etiam liberis prognerandis dabat  
 operam. Procreabat autem liberos, partim e pudicissima  
 susceptos uxore, partim ingeniosa mente conceptos. Cum igitur  
 fatalem instare sibi diem animaduertisset, quam e fidissima  
 coniuge sustulerat, prolem, Andreae Asulano, spectatae uiro  
 probitatis, commendauit; nec eum sua fefellit opinio, quam  
 de socio soceroque conceperat: summa enim ille charitate ne-  
 potes e filio pupillos curat educandos. Mibi uero filiulam par-  
 uulam, quam proxima foetura mentis trans mare genuerat,  
 tradidit expoliendam: sic ut eam, postquam expoliuissem, qui-  
 bus posses modis, eleganti istae tuae Bibliothecae dedicarem.  
 Facilitas a natura nobis insita, uitaeque institutum nostrae  
 non commisit, ut quem plurimis officiis mibi deuinxeram, is  
 extremo uitae puncto repulsam apud me pateretur. Recepti igitur  
 facturum et quod promissum est, nunc exitu praestatur.  
 Itaque grammaticam graecam (id enim filiulae nomen est)  
 quam Aldus, immatura morte praeuentus, plenioribus eruditionis  
 alimentis, nutrire non potuit, ad te moesta, uerecundaque no-  
 stro impulsu proficiscitur. Tu pro uirtutis et doctrinae patro-  
 cinio, quod suscepisse dixeris, proque eo, quod noster Aldus te  
 semper obseruauit et suspexit, (qui nunc, si uiueret, nulla mora  
 interposita, libenter excurret isto, uictoriam Diis simillimi regis,  
 qua nuper de robustissimis Heluetiis triumphauit, tibi gratulatu-  
 rus) filiulam amici, clientisque tui benigno susceptam hospitio, fo-  
 ue, protege, tutare. Quod si feceris, acrioribus stimulis Asula-  
 num impelles, ut officinam impressoriam, ob interitum Aldi pul-  
 latam, suisque deformatam ornamentis, pristino nitore restituat.*


*Nec*



Nec minores *Aldo* laudes tribuit *Tiffardus* in Alphabeto et grammatica hebraea 1508 edita, *ALDVS*, inquit, *MANVTIVS*, uir tum doctissimus tum magnificentissimus, qualem cum *Venetiis* noui, et suis scriptis percepi. *Obsopaeus* uero, in *Polybio* 1529, a *Secerio*, *Haganoënsi* Typographo, edito, praemunita ad *Georgium* *March. Brandenb.* epistola, eius, typographis, quorum officinae omnibus pateant asinis, et charitarum carnificibus, proponit exemplum, quod imitentur: Moueat eos ac moneat Exemplum Aldi Manutii, uiri clarissimi, cuius nomen, non nisi cum bonis authoribus, ex hominum memoria abolebitur. Breuiter sed honorificentissime *Angel. Rocca* in *Bibl. Vaticana* p. 412: fuit *Aldus* doctissimus, ac non minus re, quam cognomine pius, omnique laude dignus. *Conf.* p. *CLXXVI.* *Scriuerium* apud *Wolf.* T. I. p. 243. et p. 301. p. 370-374. Quid artium lux debeat *Aldo*, *Io. Gabriel Gutnerus* significat apud *Wolf.* T. II. p. 423. Eminent *Aldus* *Manutius*, qui *Venetiis* typographiae ope latinam linguam cum aliis artibus ingenuis, quae tunc in tetriv tenebris iacebant, iterum excitauit et conseruauit. *Schelhornius* etiam in *amoenitatibus literariis* passim *elogia Aldi* exhibet, at T. III. p. 555. instar omnium hoc uocat, quo illum ornauit *Octauius Ferrarius*: Quantum *Venetae* ciuitati ob libertatis atque optimi regiminis Exemplum *Italia* debet, tantum non *Veneta* modo, sed uniuersa res literaria *Manutiorum* domui se debere profitetur. Quippe *Aldus senior*, *Romani* generis, quum se *Venetias* contulisset, typographicae arti, qua non humanitas modo et memoria, sed hominum immortalitas constat, rudi adhuc atque imperfectae summam manum imposuit, et incredibili labore atque inusitata diligentia innumeros graecos et latinos scriptores, aut nondum editos ac situ putres, blattarum ac tinearum epulas, e tenebris eruit, ac ueluti e pollinctorum fasciis expediuit; aut rudi opere ac ueluti soloci filo impressos, noua et exquisita characterum

Ee forma





forma recudit et quum squalorem uetustatis, tum mendacum iniurias feliciter absterfit: doctus ipse in primis, nec uulgaribus literis instructus, (neque aliter fieri poterat) ut grammaticae institutiones et praefixae editioni operum praefationes testantur, Asulani soceri et doctorum uiuorum, quos domi, nullis sumptibus parcens, in id artificium alebat, opera adiutus, atque ita innumerablem beneficio infinitis uoluminibus orbem repleuit, et restitutarum a Venetiis per Europam literarum praecipuum instrumentum fuit, dignus de quo nullae unquam literae conticescant. Idem T. X. p. 1196. in signo Nicolai Leonicensi Vicentini in eius libro de epidemia, qui MIIID. in 4. apud Aldum prodiit, elogium posteritati transdidit. \* Quocirca numquam satis laudari posset, Aldus Manutius Romanus, uir non minore ingenio, quam doctrina, qui sua industria atque labore omnem graecorum sapientiam, grammaticam, poetica, oratoriam, philosophiam, et medicinam etiam, innumerosis uoluminibus curat inprimenda, qui tot doctissimorum hominum lucubrations, quae non multis post annis erant interiturae, ita refecit, atque restaurat, ut nulla unquam possint temporum uetustate aboleri, dignus profecto immortalitate, qui tam multis uiris praestantibus dat aeternitatem

Habet idem Schelbornius V. S. V. in amoenitatibus quoque *histor. eccles. et litterar.* T. I. p. 919. elogium Aldi, in iisdemque T. II. p. 619. praefationem quandam Aldi ineditam, ubi simul eius fatum singulare commemoratur, dedit: sed, dum hae Schelbornii amoenitates nobis non ad manus sunt, neque illas hic inferere, neque de iis dicere possum. At supplebo illud, elogio in Aldum, quod, audeo dicere, forte nullibi legeris. Nam reperitur in raro\*\* libello:

Francisci

\* Legitur etiam apud WOLFIVM l. c. T. II. p. 510


\*\* Rarum esse hunc libellum, uel inde conicio, quod *Lex. Erud. Vniu. art. Fl. Sabinus* eum esse scriptum addubitat: *Er soll sonst auch eine Apologiam — — herausgegeben haben*



*Francisci Floridi Sabini Apologia, in Marci Actii Plauti, aliorumque poetarum, et linguae latinae, calumniatores. Eiusdem libellus de legum Commentatoribus, Lugduni apud Seb. Gryphium 1537. 4*

Narrantur p. 70, 71, 72. seqq. qui, a tempore renatarum literarum, tum de latina lingua, tum, uniuerse, de eruditione, optime meriti sunt. Vbi tandem p. 75, 76. *Non possem, inquit, sine crimine, Decium Syllanum Spoletinum, praeceptorem meum, uirum undequaque doctissimum, praeterire: qui, cum Romae diu magna cum laude publice docuisset, reuiuiscenstemque eloquentiam constanter promoueret, paucis, post urbis direptionem, diebus, acerbissimo funere absumptus fuit: quo etiam tempore Francisc. Palmerius, Troilusque Sabini, Iulianus item Camers, ac Iulius Gelous Sículus, uiri omni laude dignissimi, inter uiuos esse desierunt. Cumque hi omnes hoc in munere acriter insudarint, non facile uideo, cuinam istorum cedere debeat ALDVS MANVTIUS ROMANVS? Enimvero, ut aliqui plura illo scripserint, in librorum certe castigatione, succinctaque illos imprimendi ratione, talem apud eruditos omnes laudem est adeptus, ut quadam coeli benignitate natus, qui bonas literas solertissime expurgaret, omnes fateantur. Quid enim ALDVS, dum nostro commodo inseruire posset, intentatum reliquit? Cuinam impendio, dum, ex ultimis terrarum partibus, castigatum aliquod exemplar afferri curaret, unquam pepercit? Nec mirum idcirco fuit, si tam bonos omnes illius obitus commouit, quam uita iuuerat. Illud interim nos consolari potest, quod Germania Galliaque hoc opus exequuntur: et graecos enim et latinos libros, pulchre emendatos, elegantissimisque characteribus conspicuos, nobis certatim suggerunt, ac alios, itidem diuersis in locis latentes, sagacissimi odorantur*





86) p. LV. Aliorum etiam hic carmina in Aldi laudem colligam, quo nihil in hoc genere, quantum quidem per me licet, desideretur. *Arnoldus Bergellanus* apud *Wolfium* T. I. p. 34

Inter sed cunctos, queis candida prela laborant,  
emeruit primas *Aldus* in arte potens:

Adferit hanc laudem celebri candore laboris,  
fundat et Euganeas anchora sacra rates

*Theodorus Beza* de *Aldo Manutio*, Romano, omnium quidem auctorum, praecipue uero Poëtarum, excellentissimo Typographo: (apud *Wolf.* T. II. p. 371)

*Didonis* cecinit regum disertus

*Maro*, *Pompeii* rogum *Lucanus*:

et diserte adeo hoc uterque fecit,

ut nunc uiuere iudicetur illa:

nec iam mortuus hic putetur esse:

immo sint rediuiui et hic et illa.

Ergo credere fas erit Poëtas

Diuos, utpote qui loquendo possint

uitam reddere mortuis, quod ipsis

est Diuis proprium et peculiare.

Quod si credere fas Deos poëtas,

uitam reddere quod queant sublatam,


quanto est iustius aequiusque quaeso,

ALDVM MANVTIVM Deum uocare,

ipsis qui potuit suo labore

uitam reddere mortuis poëtis.





*Ioachimus Camerarius* hoc elogio *Aldi* tumulum ornauit,  
(apud *Wolf.* T. II. p. 1123)

Extinctus nequeo, quamuis sim mortuus, esse,  
cum toto nomen uiuat in orbe meum.

Hac *ALDVS* iaceo *Romanus* mole sepultus,  
qua maria Euganeis *Adria* miscet aquis.

Multa uigent nostra librorum millia cura,  
quos tineis dederant tempora longa cibum.

Si quis adhuc igitur superest respectus honesti,  
quicquid id est, nostri est omne laboris opus.

Hoc meritum et uirtus uere est *Romana*, *Deorum*  
praecipuo, studiis, consuluisse bono

Sic denique, *Toscanum* adhuc audi, lector humanissime,  
canentem L. II. n. LXXV:

Ingenia ingenuas reuocata recentia ad artes,  
sic ut auis scribant dexteritate pari,

quae doctri scripsere patres. monumenta fatentur,  
ad solidae culmen pondere laudis iter.

Haecenus haec caecis iaceant immerfa tenebris,  
in lucem reuocet ni tuus illa labor.

Auctori sic scripta suo, qui singula debent  
cuncta accepta ferunt haec simul, *ALDE*, tibi

87) p. LVI. Est huius *Stephaniani* libelli titulus:

Artis typographicae querimonia de illiteratis quibusdam  
typographis, propter quos in contentum uenit. Auctore  
*Henrico Stephano*. Quam deinde epitaphia sequuntur

Ee 3

Prodiit,





Prodiit, Parisiis MDLXIX. et descriptum cum, ad hoc exemplum, habuit BERGERVS olim noster. Legitur iam etiam in *Wolfii Monumentis Typographicis* T. I. p. 41. ubi etiam indicatur, ubi adhuc apud alios insertus extet

Quae ad

## SECTIONEM II

dici possent, suis locis in Sect. I. dicta sunt. Pauca restant ad

## SECTIONEM III

Catalogos Librorum ex officina generatim Aldina nobis dederunt:

*Conrad. Gesnerus* in *Pandectis* fol. 107-109. edit. Tiguri 1548. fol. quem exhibet *Maittairius Annal. Typogr.* T. III. p. 240. seqq. ubi, quos non adiecit *Gesnerus*, anni, libris singulis, sunt appositi

*Christ. Gottl. Schwarzius*, *Altorfinorum decus*, in *Frid. Iac. Beyschlagii Sylloge uariorum Opusculor.* T. I. fascic. III. p. 644

*Schelbornius* in *Amoenitatibus literariis* T. X. p. 1169-1171. 1187. 1196. 1249. *Auctius Memmingae* 1738. 8

*Io. Alb. Fabricius* in *Bibl. graeca* T. XIII. p. 605-614

*Phil. Labb.* *Nou. Biblioth.* p. 389. *catalogum*, dicit, *librorum, qui ex Aldina Bibliotheca prodierunt, extare; sed se, ubi et quo anno editus sit, cum in manus suas nondum nouerit, prorsus ignorare*

Obseruo



Obferuo id quoque ad libros *Aldi*, ex *Maittaivio* T. II. p. 49, erratorum indicem in libris graecis primum fecisse *Aldum*, idque ad Alphabetum graecum 1495

A. 1494

I. Vid. *Maitt.* T. I. p. 577. II. 49, 51. Reliqua, quae in hoc titulo continentur, prodierunt demum 1495. cum Alphabeto Graeco, Mense Martio. *Lascaris* Erotemata 1494. Vltim. Febr.

II. Ad annum 1495 retulit *Maittaiv.* T. I. p. 82. ab Aldo nempe Calendis Ian. huius anni subscriptam, cum doxologia in calce grammat. *Theodori*: καὶ ἰησὺς χριστῶ πλεῖστη χάρις

A. 1495

III. Hoc est Alphabetum graecum etc. quod habet ab *Vngero* n. I. allata. Vid. *Maitt.* T. I. p. 193. Hac prima uice pars aliqua noui Testamenti imprimi coepta, in Euangelio Ioannis, usque ad *χαριτος καὶ ἀληθείας*


III. Vid. *Maittaiv.* T. I. p. 76. ubi hanc habet doxologiam, ad calcem *Porphyrui*, ἐπαινος τιμῆ καὶ δόξῃ χριστῶ ἰησὺ τῶ λυτρῶ τῆ ἡμῶν, ad calcem *Aristotelis*, δόξῃ πατρῶ καὶ τῶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, ad calcem totius libri τῶ θεῶ δόξῃ τῆ καὶ χάρις. ἀμην

A. 1497

VIII. Nouerat *Aldus*, *Aristotelem* de Rethorica et Poëtica scripsisse, sed nondum uiderat hos libros. *Maitt.* T. I. p. 84. *Platoni* antetulit *Aristotelem*, contra quam *Cicero* fecit, *Aldus*, cui assentitur *Grocinus*, tantum inter *Aristotelem* et *Platonem* interesse arbitratus, quantum inter *πολυμαθῆ* et *πολυμυθῆ*. Vid. *Maitt.* T. I. p. 90

Addatur:





II. Addatur:

*Nicolai Leonicensi* Liber de Epidemia, quam Itali morbum Gallicum, Galli uero Neapolitanum uocant, Venetiis in domo *Aldi Manutii* mense Iunii M. III. D. in 4

A. 1498

XV. Praefatio, prorsus hic eximia, agit de necessitate linguae graecae in omni disciplinarum genere, deque praestantia graeci sermonis in his *Aristophanis* comoediis


A. 1499

XXII. Non res est confecta, *Aldi* ex officina hunc librum esse, quia *Venetiis Aldusque* in illo comparet. Perscripsit mihi illustris *Christius* hanc in rem, se gaudere hoc libro, maxime adhuc integro, sed ultimam paginam sibi modo Aldinam uideri, reliquas alius preli aliusque chartae esse. Literas quoque in illo non conuenire cum aliorum librorum ab *Aldo* impressorum literis, qui illas, si suas fuissent, non tantum ad hunc unum adhibuisset. Accedit illud, cum 1499 *Aldus* iam clarus esset, in uariis illis praefationibus, uersibus et id genus alia, quae post titulum leguntur, altum de ALDO silentium. Videtur ergo huius libri reuifio modo ad *Aldum* pertinere, cuius forte exemplaria, postquam antea *Tartisii* aut *Venetiis* excusus fuerit, *Franciscus Columna* Aldinae officinae tradiderit uendenda. Ipsa *Leonardi Crassi Veronensis* dedicatio id docet, non *Aldum* impressisse hunc librum, sumtibus, inquit, meis imprimendum et publicandum curauit. Liber spectat ad restituendum sensum elegantiae operum uetustatis eruditae

A. 1501

XXVIII. Dedicauit *Bembo* hunc suum *Virgilium*, sed non exscripsit eius nomen: *Aldus P. M. Petrum B. Compatrem a*  
secretis





secretis *Leouis X.* Pont. Max. saluere iubet. Addit, *Bembum* ipsi anam dedisse hac parua librorum forma imprimendi

Addantur:

Poëtae Christiani cum Homero-centon. Graece et Latine; *Sulpitius* de Sto Martino; *Vita Nicolai*, Myrnensis Episcopi, e graeco in Latinum translata per Leonard. Iustinianum. Venet. apud Aldum, Mense Ianuar. MDI. Voll. II. 4

A. 1502

XXXVII. Post *Pharsaliam* legitur: *SULPITII Carmina*, uelut superioribus annectenda. Deinde: *M. Annei Lucani Vita* ex clarissimis authoribus. In dedicatione ait: *Omnes libros, qui industria nostra excusi exeunt in manus hominum aliqua epistola, quae sit tamquam eorum argumentum, amicis; iisque doctissimis, nuncupare statuimus; et paullo post: quia tuum mihi Lucanum, et antiquum et correctum, ut eo exemplari uterer, et benigne et humaniter commodasti.* Lineae et uirgulae in illo apparent

XXXVIII. conf. p. CCIII. in dedicatione ad *Pontanum* rogat illum, ut eius officinae suos credat libros, atque in fine, gaudeant, ait, *studiosi omnes, habere nos hac aetate, quem opponere possimus antiquitati*

Addatur:

Lo' ferno e'l Purgatorio e'l Paradiso di *Dante Alagbieri*: Venetiis, in aedibus *Aldi*, accuratissime. Non. Aug. M. D. II


A. 1503

*Vlpiani* Commentarioli in *Olynthiacas* *Philippicasque Demosthenis* et *Harpocratonis* Lexicon. Graece. Venetiis, apud *Aldum*, mense Octob. M. D. III. in fol:

Ff

huc





huc apponendi, minus recte ab Auctore ad a. 1504. p. ciii.  
n. LX

A. 1505

I. *Aurelii Augurelli* Carmina Venetiis, in aedibus *Aldi*,  
mense April. M. D. v. 8. uid. p. CLXVIII

A. 1508

LXVIII et LXVIII simul prodierunt hoc elogio:

*Plinii Secundi* epistolarum Libri X. Eiusd. Panegyricus;  
de uiris illustribus, *Suetonius Tranquillus* de claris Grammat-  
ticis et Rhetoribus; *Julius Obsequens* de prodigiis. Venetiis,  
in aedibus *Aldi* et *Andreae Asulani* M. D. VIII. 8

A. 1512

LXXVIII. Huic editioni adiecit *Aldus* Alphabetum  
hebraicum et alia quaedam, quo legere hebraice tyro con-  
discat

Addantur:

M. T. C. epistolae Familiares recognitae. M. D. XII.  
Venetiis, apud *Aldum* et *Andream* Socerum. In epistola ad  
*Sigismundum Thurum Pannoniensem*, Varadiensem episcopum,  
promittit reliqua *Ciceronis* sensim pedetentimque se edi-  
turum

A. 1513

Nonsolum, *Nicolai Protti* cornu copiae, hoc anno ab *Aldo*  
editum, uidere licet in *Catal. Bibl. Vffenbach.* T. I. p. 578.  
sed habet illud etiam *Christius V. C.* qui me monuit, *Aldum*  
in praefatione maximopere de deteriori statu artis Typogra-  
phicae conqueri, et diuinare per eundem studia peritura.  
Sequitur illud cornu copiae, sine noua praefatione, *Varro*, et  
cum praefatione *Festus*, quem habet Auctor n. LXXXVII

A. 1514





A. 1514

LXXXVI. Ita est titulus libri:

Libri de Re rustica *M. Catonis. M. Terent. Varronis, L. Iunii Moderati Columellae, Palladii.* Venetiis, in Aedibus *Aldi et Andreae, Soceri.* Mense Maii. M. D. XIII

LXXXVII. Sic se libri habet elogium:

*Quintiliani Institutiones Oratoriae.* Venetiis, in aedibus *Aldi et Andreae, Soceri.* Mense Aug. M. D. XIII. 4. Dedicauit *Aldus Ioanni Baptistae Rhamusio, Compatri,* cuius uirtutes praedicat, auxiliumque, cum *Naugerio,* in hac editione praestitum

Addatur:

*Valerius Maximus,* Venetiis in aedibus *Aldi et Andreae, Soceri.* Mense Octobr. M. D. XIII. 8

A. 1515

CII. uid. p. CLXVIII

CIII. *Aldi Manutii Romani Grammaticae Institutiones graecae,* Venetiis, in Aedibus *Aldi et Andreae, Soceri.* Mense Nouembri M. D. XV. 4

p. CXV

CVIII. }

CVIII. }

uid. p. CXXXII

CX. }

Addatur:


*Prudentius, Prosper, Ioannes Damascenus, Cosmus Hierosolymitanus, Marcus Episcopus Taluontis, Theophanes.* 8

Est haec uetusta *Aldi, Senioris,* et a diligentissimo *Maittairio* praetermissa editio. *Aldus* in Praef. ad *Dan. Clarium,*

Ff 2

rium,





*rium*, Parmensem, haec inter alia habet: *PRUDENTIVS*, primus ex Christianis Poëtis, qui in manus nostras pervenerunt, ab usque Britannis oritur, cum iam mille et centum annis et plus eo delitisset, exit in publicum typis nostris. Iuencum, Sedulium Aratorem, quos tam diu typi nostri parturiunt etc. perbreui parient. Vnde apparet, hanc collectionem, adhuc ante Poëtas Christianos a. 1501. apud *Aldum* editos, prodiisse

*Homeri Ilias Graece*. 8

*Maittairius* T. II. Typogr. p. 163. hanc editionem a. 1503. adspexisse lucem coniicit. *Fabricio* in B. G. a. 1504. prodiisse uidetur; ut et *Vngero* p. CIII. n. LVIII

*Strozzi* Poëtae, pater et filius. 8

Quos denique affert *Vnger*, p. CXVI. *Terentium*, *Plautum* etc. non apud *Aldum*, seniore, sed diuersis annis, post eius mortem, apud Haeredes *Aldi* prodierunt, quos suis locis dat *Maittairius*

ΤΩΙ ΘΕΩΙ ΜΟΝΩΙ ΔΟΞΑ



ERASMI



ERASMI ROTERODAMI  
*COMMENTATIO*  
IN ALDI LAUDEM OFFICINAE EIVS  
PRAESTANTIAM  
SYMBOLVMQVE FRVGIFERVM









DESIDERII ERASMI ROTERODAMI

ADAGIORVM

CHILIADIS SECVNDAE, CENTVRIAE PRIMAE

PROVERBIVM PRIMVM

FESTINALENTE

**Σ**πευδε βραδews, id est, FESTINALENTE. Pro-  
uerbium hoc non inuenustam aenigmatis speciem prae-  
se fert, propterea quod constat ex uerbis inter sese pugnan-  
tibus. Ideoque referendum est ad eam formam, quam in  
operis huius initio demonstrauius, nimirum eorum, quae  
per εναντιωσιν, id est, *contrarietatem* efferuntur. Quod ge-  
nus est illud, δυσδαιμων ευδαιμονια, id est, *infelix felicitas*.  
Nec absurde mihi coniectasse uideatur, si quis effectum exi-  
stimet ex eo, quod est apud *Aristophanem* in *Equitibus*,  
σπευδε ταχews, id est, *Propera propere*, ut allusor, quisque  
is fuit, την αναδιπλωσιν in εναντιωσιν commutarit. Ad hunc  
autem figurae colorem, atque ad hanc allusionis facetiam,  
non mediocrem gratiam adiungit, tam commoda, tamque

Gg 2

absoluta





absoluta breuitas, quae et ipsa, uelut in gemmis, itidem et in adagiis, nescio quo modo, peculiariter decere mihi uidetur, et ad pretii miraculum facere. Etenim si uim ac sententiam aestimes, quam haec, tam circumcisa, uocum breuitas in se complectitur, quam sit foecunda, quam grauis, quam salutaris, quam ad omnem uitae rationem late patens, profecto facile discefferis in hanc sententiam, ut, in tanto prouerbiorum numero, non arbitreris ullum aliud esse perinde dignum: quod omnibus incidatur columnis: quod pro templorum omnium foribus describatur, et quidem aureis notis: quod in principalium aularum ualuis depingatur: quod primatium inscalpatur annulis: quod regiis in sceptris exprimatur, denique, quod omnibus ubique monumentis repraesentetur, propagetur, celebretur, ut, quod tantopere expediat, semper cuiusque obuersari animo, quo nusquam non occurrat oculis, nulli quidem mortalium, non maximo futurum usui, praecipue tamen principibus, et iis, quibus, ut uerbis dicam *Homericis*:

Λαοιτ' επιτετραφαι και τοσσα μεμηλε id est:  
*Commissi populi, ac tam multa negotia curae.*

Quandoquidem a plebeiae sortis hominibus, si quid forte sit uel praetermissum socordia, uel admissum temeritate, quemadmodum iactura leuior, ita et incommodum, quod acceptum est, faciliore remedio sarcitur. At uero principis uel unica cessatio, semelue praecipitatum consilium, Deum immortalem, quas tempestates nonnunquam excitat, quantas rerum humanarum ruinas secum trahit? Rursum si adsit το σπενδειν βραδεως; hoc est, maturitas quaedam ac moderatio, simul ex uigilantia lentitudineque temperata, ut neque per temeritatem quicquam faciat poenitendum, neque per socordiam quicquam praetereat, quod ad Reipublicae



publicae commodum pertinere uideatur, quaeso te, quid esse possit hoc imperio felicius, firmitus, stabiliusque? quanquam haec felicitas haud quaquam ipsis imperii terminis circumscribitur, quin undique longe lateque ad finitimos populos, dimanat, nec usquam aequae locum habet, *Hesiodium* illud:

Πουμα κακως γειτων, οσσον τ'αγαθος μεγ'ονειαρ

Proinde sic equidem existimo, prouerbium hoc, si quod aliud, optimo iure, βασιλικον, id est, regium appellari debere, non tantum ob eam, quam modo diximus, causam; uerum etiam, quod, duobus his uitiis, ingenia principum, fere peculiariter, uideantur esse confinia. Nam fortunae fauor, rerum affluentia, tam paratae uoluptatum illecebrae: praeterea protinus licere quicquid collubitum fuerit, denique pestilentissimum illud assentatorum ευγε, semperque parati, quicquid, quocumque modo, dictum factumue fuerit, arrisus, applausus, adgratulatio: haec, inquam, atque id genus alia, non mirum, si quibusdam socordiam concilient: Maxime, si his omnibus fomentis aetas iuuenta contigerit, et huius comes, rerum imperitia. At e diuerso fit nonnunquam, ut insitus ille principum ingeniis uigor, et impetus quidam, ut ita dixerim, leoninus, adauctus amplitudine fortunae, excitatus rerum maximarum successibus, inflammatus uel iracundia, uel ambitione, uel aliis huiusmodi cupiditatibus, extimulatus consiliis praeferoscibus, transuersos rapiat aliquoties, ac tum ipsos, tum omnem imperii molem, in praecipitium auferat. Quanquam siquidem in alterutram partem peccandum sit, non paulo praestiterit, regem impendio lentum esse, quam plus aequo praecipitem. *Homerus Agamemnoni* uitiosam quandam animi molliciem, hoc est, το βραδεως affinxisse uidetur: ut eius nullum egregium





facinus adferatur aut animosum, nisi cum ob ereptam *Chryseidem* stomachatur, et *Achillem* sua spoliat *Bryseide*. Rursum *Achilli* parum moderatos impetus, hoc est, το σπυδεν, attribuit: nisi si cui tum σπυδεν βραδως uidetur, cum in concilio districto gladio regem impetiturus, a *Pallade* coërcetur, admonitus, ut intra conuicia duntaxat indigne- tur. Atqui hoc ipsum erat impotentis animi, in frequenti principum confesso, tot probris, tam manifestis conuiciis in eum debacchari, penes quem rerum erat summa. *Achillem* imitatus uidetur *Alexander* ille magnus, ac plane uicit: quippe quem eo usque praecipitem egerit impetus animi, ut in amicissimos etiam ferrum destrinxerit, *Agamemnonem Sardapalus* est aemulatus, sed ita aemulatus, ut longo praecesserit interuallo. Quin utriusque generis innumerabiles inuenire liceat, qui uel huius inertiam, uel illius ferociam referant: per paucos autem reperias, qui, prouerbium hoc secuti, tempestiuam celeritatem cum prudenti tarditate recte miscuerint, nisi quod pro multis unus sufficit, *Fabius* ille *Maximus*, cui cognomen etiam additum cunctatori; qui cum sibi laudem peperit immortalam, tum Romano imperio cunctando restituit rem, aliorum ducum inauspicata celeritate, iam ad extrema redactam. Itaque non sine causa uideo factum, ut hoc σπυδεν βραδως in tantum arriserit duobus imperatoribus Romanis, omnium facile laudatissimis, *Octauio Augusto*, et *Tito Vespasiano*, quorum utriusque singularis quaedam aderat animi magnitudo, cum incredibili quadam lenitate, facilitateque coniuncta: ut, cum amabili morum popularitate, omnium animos sibi deuinxissent, nihilo secius tamen pari diligentia, si quando res uirum postularet, celeriter res maximas confecerint. *Octavius* igitur hoc dicto tam impense delectatus est, quemadmodum in noctibus Atticis, libro decimo, ca-  
 pite



pite undecimo, narrat *Aulus Gellius*, et hunc secutus *Macrobius* Satur. lib. VI, ut, non in sermonibus modo quotidianis, crebrius usurparet, uerum etiam epistolis suis frequenter infereret, admonens his duabus uocibus, ut ad rem agendam adhiberetur simul et industriae celeritas, et diligentiae tarditas. Quod quidem *Gellius* Latinis existimat unico uerbo dici, matura. Nam maturari, quod neque praepropere fiat, neque serius quam oporteat, sed ipso in tempore. In hunc sensum usurpasse *Maronem*, cum ait *Aeneidos* libro primo: Maturate fugam. Quanquam omnino uox haec apud autores significat idem quod festinare, sed ita festinare, ne tempus legitimum anteuertas. Siquidem festinata recte dixeris etiam praepropera, maturata non dixeris. Neque dissident ab his, quae *Suetonius* tradit in huius uita: Nihil, inquiens, minus in duce perfecto quam festinationem, temeritatemque conuenire arbitrabatur. Crebro itaque illa iactabat:

Σπευδε βραδεως αεφαλους γαρ ες' αμεινων η θρασυς  
στρατηγος

Haec ferme *Suetonius*. Est autem uersus trochaicus tetrameter catalecticus, ex poeta quopiam, ut coniicio, decerptus, cui *Caesar* de suo subiecit, στρατηγος. Cuius haec est sententia, Festina lente. Nam qui tuto, citraque lapsum, rem gerit, melior est, quam audax et confidens. Tutiora sunt enim, quae lentis consiliis prouidentur, quam quae calidis consiliis properantur. Iam uero dictum idem *Tito Vespasiano* placuisse, ex antiquissimis illius nomismatis, facile colligitur: quorum unum *Aldus Manutius* mihi spectandum exhibuit argenteum, ueteris, planeque Romanae sculpturae, quod sibi dono missum aiebat a *Petro Bembo*, patritio Veneto, iuvene cum inter primos eruditum, omnis literariae antiquitatis diligentissimo peruestigatore

tore





tore. Nomismatis character erat huiusmodi: altera ex parte faciem *Titi Vespasiani* cum inscriptione praefert, ex altera ancoram, cuius medium ceu temonem Delphin obuolutus complectitur. Id autem symboli nihil aliud sibi uelle, quam illud *Augusti Caesaris* dictum: *Σπειυδε βραδεις*, indicio sunt monimenta literarum hieroglyphicarum. Sic enim uocantur aenigmatica scalpturae, quarum priscis seculis multus fuit usus, potissimum apud Aegyptios uates, ac theologos: qui nefas esse dicebant, sapientiae mysteria literis communibus uulgo prophano prodere, quemadmodum nos facimus, sed si quid cognitu dignum iudicassent, id animantium rerumque uariarum expressis figuris ita repraesentabant, ut non cuius statim promptum esset coniecere; uerum si cui singularum rerum proprietates, si peculiaris cuiusque animantis uis ac natura cognita, penitusque perspecta fuisset, is demum collatis eorum symbolorum coniecturis, aenigma sententiae deprehendebat. Veluti cum Aegyptii *Osirim* suum, quem eundem solem esse putant, significare uolunt, inscalpunt sceptrum, inque eo speciem exprimunt oculi, nimirum innuentes hunc Deum esse, regalique potestate sublimem, cuncta despiciere, quia solem *Iouis* oculum appellat antiquitas. Huiusmodi ferme refert *Macrobius* libro Saturnalium primo. Item annum hoc modo demonstrabant: Effingebant serpentem ita circumuolutum, ut caudam ore teneret insertam, innuentes, annum semper iisdem uicibus temporum reciprocantibus in sese recurrere. Vnde *Seruius* autumat, apud Graecos *επιαντος* uocabulum attributum anno, atque huc respexisse *Maronem*, cum ait:

Atque in se sua peruestigia uoluitur annus

Etiam si *Horus* Aegyptius, cuius extant duo super huiusmodi symbolis libri, serpentis scalptura non annum, sed acuum repraesentari tradit: Annum autem tum *Isidis*, dum  
Phoenicis





Phoenicis imagine. Scripsit his de rebus Plutarchus in commentario de Osiride, et Chaeremon apud Graecos, testimonio Suidae, cuius ex libris excerpta suspicor ea, quae nos nuper conspeximus huius generis monimenta, in quibus etiam haec inerat pictura: Primo loco circulus: deinde ancora, quam mediam, ut dixi, Delphinus obtorto corpore complectitur. Circulus, ut indicabat interpretamentum adscriptum, quoniam nullo finitur termino, sempiternum innuit tempus. Ancora, quoniam natum remoratur, et alligat, sistitque, tarditatem indicat. Delphinus, quod hoc nullum aliud animal celerius, aut impetu perniciose, uelocitatem exprimit: quae scite si connectas, efficient huiusmodi sententiam: *αἰ σπευδε βραδeweς*, id est, semper festina lente. Porro hoc scripturae genus non solum dignitatis plurimum habet, uerum etiam uoluptatis non parum, si quis modo rerum, ut dixi, proprietates penitus perspectas habuerit: id quod partim contingit solerti contemplatione rerum causarumque naturalium, partim liberalium cognitione disciplinarum. Veluti si quis ex Aristotelicis libris, quos de naturali auditu inscripsit, probe teneret, analogiam quandam esse et similitudinem inter magnitudinem, motum, ac tempus: nam horum trium unumquodque pariter in eodem existunt. Siquidem ut tempus adhaeret motui, ita motus adhaeret magnitudini. Quod in magnitudine punctum, hoc momentum in tempore, impetus in motu (liceat enim sic appellare quod in motu minimum est, atque inuisibile.) Neque enim de uocibus laborandum, si de re conueniat. Iam igitur si in recta linea magnitudinem consideres, duo puncta reperies, quorum alterum fit initium duntaxat, alterum finis tantum, hoc est, unde quasi fluit longitudo et in quod desinit. In eadem si motum constituas, duos item reperies impetus, alterum unde

boup

Hh

mo-





motus oritur, alterum in quem desinit. Horum ea ratio est, ut qui initium est, tantum eius motus initium sit: qui finis, tantummodo finis. Motum tempus necessario comitatur. Est enim huius ueluti regula, cuius naturam si separatim contemplare, duo uides momenta (liceat enim ita loqui) alterum temporis illius initium, alterum finem. Rursum autem si in eadem linea consideraris, puncta magnitudinis, impetus motus, momenta temporis, quae media intercedunt inter initium et finem, uides, horum uniuscuiusque uelut ancipitem esse naturam. Etenim ad initium relata, fines sunt: ad finem, initia. Proinde ubi finita erit magnitudo, ibi simul et finitus motus, et tempus finitum sit, oportet. Finita est autem ea magnitudo, in quam tale competit initium, ut idem finis esse non possit: talis inquam finis, ut in eundem non cadat ratio principii, id quod euenit in omnibus figuris, excepta circulari, seu sphaerica. Nam ut in hanc nullum certum est punctum, quod proprie dici queat initium, nullum item, quod ita sit finis, ut tantum eam recipiat appellationem, ita nec momentum huiusmodi ullum est, nec impetus. Vnde consequitur, ut ibi neque finita sit magnitudo, neque motus finitus, neque finitum tempus. Rursum ubi quodlibet magnitudinis punctum simul et initium et finis esse potest, ibi magnitudinem infinitam esse necesse est. Ad eandem rationem, ubi quilibet impetus uel principium motus esse potest, uel finis, illic motus uidetur infinitus. Demum ubi quoduis momentum, simul uel initium temporis esse potest, uel finis, ibi tempus infinitum oportet esse. Sed, infinitum tempus, aeternum uocamus, quod quidem aeterno respondet motui. Motus aeternus magnitudinem item aeternam requirit. Haec non possunt comperere, nisi in sphaericam, aut circularem magnitudinem. Vnde philosophi quidam aeternitatem mundi collegerunt,

quod





quod animadverterent coeli uniuersi, syderumque et sphaericam esse figuram, et motum item esse sphaericum. Porro, non solum in huiusmodi magnitudinem, circuli ratio quadrat, uerum etiam motus, hic adhaerens, circulus est quidam. Item tempus eum dimetiens motum, non respuit appellationem circuli, quemadmodum testatur etiam *Aristoteles*, quarto *περι της φυσικης ακρασεως* libro. Haec igitur, atque id genus alia, qui ex Philosophorum disciplinis perdidicerit, is facile coniectabit, quam ob rem Aegyptii circulo sempiternum tempus exprimere uoluerint. Iam uero Delphini uim, naturamque paucis inspiciamus. Tradunt auctores, hunc incredibili uelocitate, et admirabili impetu reliquum animantium genus, longo interuallo, post se relinquere. Proinde *Oppianus* libro, de naturis piscium secundo, Delphinos non cum quibuslibet auibus, sed cum aquilis confert:

Οσσον γαρ κερφοισι μετ ριωνοισιν ανακτες  
 Αιετοι, η θηρεσσι μετωμησισι λεοντες  
 Οσσον αριρευσιν εν ερπυσησσι Δρακοντες  
 Τοσσον και Δελφινες ενιχθυσιν ηγεμονησ

id est:  
*Quippe citas, quantum inter aues insignis honore.  
 Regali, reliquas aquila praenevititur omnes,  
 Inque feris leo crudus oris saeuique dracones  
 Serpentem in genere exsuperant, tantum impete Delphin  
 Eximius uincit regnantes aequore pisces.*

*Confert et iaculo*  
 Δια γαρ βελος ωσε θαλασσαν ιπτανται.

id est:  
*Namque per aequora lata sagittae more uolant  
 Denique, confert etiam uento, seu turbini potius ac procel-  
 lae uentorum*





Ἄλλοτε μὲν βαθυκύμα διατρέχει ἢ ἡτε λαίλαψ ἢ εἰς

*Altas aliquando per undas*

*Turbinis in morem discurret.*

*Plinius*, libro historiae mundi nono, cap. octavo, *Aristo-  
telis* secutus sententiam, haudquaquam ab his discrepantia  
refert, uidelicet, Delphinum omnium animalium pernicio-  
simum esse: neque id solum inter maritimi generis, uerum  
etiam uolucris quauis ocyorem, quouis acriorem telo, singu-  
larem autem huius uelocitatem hoc potissimum argumento  
colligi, quod, cum os habeat longo distitum interuallo,  
a rostro, nempe medio pene uentre, quae res, in confectan-  
dis piscibus, non mediocrem illi moram adferat, necesse  
est, neque enim, nisi resupinus, atque conuersus corripit,  
tamen uix ullus est piscium, qui illius effugiat celeritatem.  
Nec ignorat ipse hanc naturae dotem, sed ueluti laudis ani-  
miue causa certat aliquoties cum nauigiis, plenis uelis eun-  
tibus. Est enim praecipue Φίλανθρωπος Delphin, quin et  
παιδερασην aiunt nonnulli, et ob id capitalis est hostis Cro-  
codili, quo non aliud animal infensus homini. Itaque  
non pauescit hominem, ut alienum, uerum obuiam nau-  
igiis uenit; alludit exultans, certat etiam, et, quamuis ple-  
na, praeterit uela. Quin etiam in mugilum uenatu apud  
stagnum Laternam magnifice declarat, quantum ualeat ce-  
leritate, quantum polleat ingenio, quantum denique bene  
uelit homini. Iam uero quid dicam de impetu uix credibi-  
li? Siquidem ubi fame concitatus, fugientem in uada ima  
persecutus piscem, diutius spiritum continuit, non aliter,  
quam arcu emissus, ad respirandum emicat, tantaque ui ex-  
ilit, uti plerumque uento turgentia uela nauium saltu trans-  
uolat. Quod igitur symbolum magis conueniebat ad ex-  
primendum acrem illum et indomitum animi impetum,  
quam



quam Delphini? Porro, ad significandam tarditatem cunctationemque, non male quadrabat *εχενικ* piscis, quem Latini Remoram uocant, uerum, quoniam huius figura parum cognobilis uidebatur, (nam, praeterquam quod admodum pusillus est, nec ulli insigni nota discernitur) magis ad id placuit ancora symbolum, quae si quando periculose nauigatur ob uentos nimium secundos, ibi cursum immoderatum nauis figit ac retinet. Itaque hoc dictum *σπευδε* *Βεαδωρ*, ex ipsis usque prisca philosophiae mysteriis profectum apparet, unde ascitum est a duobus omnium laudatissimis Imperatoribus, ita, ut alteri adagionis esset loco, alteri insignium uice, utriusque moribus ingenioque mire quadrans. Nunc uero in *Aldum Manutium Romanum*, ceu tertium haeredem, deuenit,

*Haud equidem sine mente reor, sine numine diuum.*

Nam huius eadem, quae quondam *Tito Vespasiano* placuerunt, celebrantur insignia, non notissima modo, uerum etiam gratissima, quibuscunque ubiuis terrarum bonae literae uel notae sunt uel charae. Neque uero symbolum hoc tum illustrius fuisse crediderim, cum in scalptum imperatorio numismati, negotiorum manibus terendum circumferretur, quam nunc, cum ubique gentium uel ultra Christiani imperii terminos, una cum omnigenis, utriusque linguae, uoluminibus propagatur, agnoscitur, tenetur, celebratur ab omnibus, qui liberalium studiorum colunt sacra: praesertim iis, qui fastidita barbara ista pinguique doctrina, ad ueram atque antiquam aspirant eruditionem, ad quam restituendam uiris quasi natus, et ab ipsis, ut ita dixerim, factus scalptusque uidetur, tam ardentibus uotis unum hoc optat, tam infatigabili molitur studio, usque adeo nullum refugit laborem, ut literaria





supellex et integra, et sincera, puraque bonis ingeniiis re-  
 stituatur. Quam quidem ad rem quantum iam attulerit  
 momenti tametsi satis, pene dixerim, inuitis, res ipsa ni-  
 mirum iudicat. Quodsi pulcherrimis planeque regiis *Aldi*  
 nostri uotis deus aliquis, bonis literis amicus, aspirauerit,  
 etsi quem numina laeua sinant, intra paucos annos illud fu-  
 turum polliceor studiosis, ut, quicquid est bonorum auto-  
 rum, in quatuor linguis, Latina, Graeca, Hebraica, Chal-  
 daea, tum autem in omni genere disciplinarum, id unius  
 huius opera, et plenum habeant et emendatum, nullamque  
 iam literariae supellectilis partem quisquam desideret.  
 Quod simul atque contigerit, tam uero palam fiet, quan-  
 tum adhuc bonorum codicum in abdito sit, uel reclusum ob  
 negligentiam, uel suppressum quorundam ambitione, qui-  
 bus hoc unum cordi est, ut soli sapere uideantur. Tum  
 denique cognitum erit, quam prodigiosis mendis scateant  
 autores etiam hi, qui nunc satis emendati putantur. Cuius  
 rei si cui libebit, uelut degustatione coniecturam facere, *Pli-  
 nianus* epistolas, quae propediem ex *Aldina* officina pro-  
 dibant in lucem, cum uulgatis exemplaribus conferat,  
 quodque ipsi deprehenderit, idem in aliis expectes autoribus.  
 Hierosolanam mehercule facinus, ac regio quodam animo  
 dignum, rem, tam diuinam, quasi funditus collapsam, or-  
 bi restituere, latentia peruestigare, eruere reclusa, reuocare  
 extincta, sarcire mutila, et emendare tot modis deprauata,  
 praecipue uulgarium istorum excusorum uitio, quibus unius  
 etiam aureoli libellum antiquius est, quam uel uniuersa res  
 literaria. Adde iis, quod quantumlibet exaggeres eorum  
 laudem, qui res publicas sua uirtute uel tuentur, uel etiam  
 augent, in re certe prophana tam angustiis circumscripta  
 spatii uersantur. At qui literas collapsas uindicat, nam id  
 pene difficilius, quam genisse, primum rem sacram molit-  
 tur

libel

H B 3

tur





tur et immortalem, tum non unius alicuius prouinciae, sed omnium ubique gentium, omnium seculorum negotium agit. Postremo quondam principum hoc munus erat, inter quos praecipua *Ptolomaei* gloria. Quamquam huius Bibliotheca domesticis et angustis parietibus continebatur. *Aldus* Bibliothecam molitur, cuius non alia septa sint, quam ipsius orbis. In hanc digressiunculam non abs re uideor mihi expatiatum, nempe quod studiosi hoc impensius his insigniis et faueant, et delectentur, postea quam cognouerint, a tam inclytis autoribus fluxisse: praeterea quid sibi uelint, intellexerint. Denique cum meminerint, quantum bonae rei *Delphinus* ille polliceatur, si quis modo deus pulcherrimis conatibus dexter adfuerit. A diuerticulo repetetur fabula, si prius exposuero querelam de typographis quibusdam, pessime de re literaria merentibus. Non est noua quaerimonia, nunquam tamen iustior, quam hisce temporibus, quibus haec mihi quarta, ni fallor, parabatur editio. Ea fuit anno MDXXV. Venetorum urbs multis quidem nominibus celeberrima, per *Aldinam* tamen officinam celebrior est, adeo ut quicquid librorum istinc adfertur ad exteras nationes, ob ciuitatis tantum titulum ilico sit uendibilis. Atqui eius nominis lenocinio sordidi quidam typographi sic abutuntur, ut uix ab ulla ciuitate nobis ueniant autores impudentius deprauati, nec ii sane quilibet, sed omnium primi, uelut *Aristoteles*, *M. Tullius*, et *Quintilianus*, ne quid querar de sacris uoluminibus. Curatum est legibus, ne quis consuat calceum, ne quis faciat scrinium, nisi fuerit ab eius opificii sodalitia comprobatus: et tantos autores, quorum monumentis etiam religio debetur, emittunt in uulgus, adeo literarum ignari, ut ne legere quidem possint, adeo ignaui, ut nec relegere libeat, quod excuditur, adeo sordidi, ut citius patiantur sex millibus mendarum oppleri bonum librum, quam paucis aureolis

BIBLIOTHECA

lis





His uelint conducere qui praesit castigationi. Nec ulli ma-  
 gnificentius pollicentur in titulis, quam qui impudentissime  
 deprauant omnia. Ex legum autoritate datur redhibitio,  
 si quis pannum ut cocco tinctum, uendiderit, si deprehenda-  
 tur, in tinctura nihil additum cocci, quin multa afficitur,  
 quisquis in huiusmodi mercibus fucum fecit: et lucro suo  
 uel furto potius fruitur, qui eadem opera tot hominum mi-  
 libus imponit? Olim et in describendis libris adhibebatur  
 religio non minor, quam nunc adhibetur in notariis publicis  
 ac iuratis, certe maior debebatur, nec aliunde tam prodigio-  
 sa librorum confusio profecta est, quam quod obscuris qui-  
 buslibet et monachis imperitis mox etiam mulierculis citra  
 delectum rei tam sacrae tractatio committebatur. At quan-  
 tum est mali, quod adfert scriba negligens et indoctus, si  
 conferas typographum? Et hic oscitant leges publicae:  
 Punitur, qui uendit pannum apud Britannos tinctum,  
 pro panno uincto apud Venetos, et audacia sua fruitur, qui  
 meras cruces et ingenii tormina uendit pro bonis autoribus:  
 Dices, non est uenditoris, emptori praestare quoduis uiti-  
 um. Certe hic debebat esse, si titulus promittit exactam  
 diligentiam, et liber scatet mendis. Et sunt errata, quae  
 nec ab eruditis statim deprehenduntur. Iam typographo-  
 rum innumerabilis turba confundit omnia, praesertim apud  
 Germanos. Non licet cuiuis pistorem esse, Typographia  
 quaestus est nulli mortalium interdictus. Nec tutum est,  
 quiduis pingere aut loqui, at quamuis materiam excudere  
 fas est. Vbi terrarum non uolitant nouorum libellorum exa-  
 mina? Quorum si singuli adferrent aliquid scitu dignum, ta-  
 men ipsa turba studiis uehementer officeret, uel ipsa satietate,  
 quae bonis in rebus est multo perniciosissima, uel hoc ipso,  
 quod his uelut illecebris animi hominum natura aplicori, et  
 nouarum rerum auidi, seuocentur a lectione ueterum scri-  
 ptorum,




ptorum, quibus nihil melius potest proferri, etiamsi non inficior, a neotericis aliquid inueniri posse, quod illos fugerit. Existere potest, uerbi causa, qui doceat aliquid, quod latuerit *Aristotelem*, nullum tamen arbitror exoriturum, qui philosophiae corpus tradat absolutius, quam ille tradidit. Sic erit fortassis, qui in literis sacris uideat quaedam, quae fefellerint *Chrysostrum* aut *Hieronymum*: at non arbitror fore, qui in summa praestet, quod illi praestiterunt. Nunc illis propemodum antiquatis, omnibus omnium naeniis terimus horas, negliguntur interim honestae disciplinae, cum suis autoribus, collabatur autoritas senatum, conciliorum, scholarum, Iureconsultorum, ac Theologorum. Quod si res pergat, qua coepit, futurum est, ut summa rerum ad paucos redacta barbarica quaedam tyrannis sit apud nos, qualis est apud Turcas. Vnius aut paucorum libidini parebunt omnia, nec erunt politicae ciuilibus ulla uestigia, sed militari uolentia gubernabuntur uniuersa. Iacebunt omnes honestae disciplinae, lex una uigebit, sic uult *ο κοσμοκρατωρ*. Religionis antistites aut nullo erunt in precio, aut si quid habebunt opum dignitatisue, id totum seruiet iis, quorum non iudicio, sed nutu, ac renutu temperabuntur omnia. Quanto melius consuleretur rebus humanis, si quemadmodum in elementis mundi alia ab aliis sic temperantur, ut aeterno foedere consistant omnia: sic in republica sua cuique legitima maneret autoritas, populo tribueretur quod aequum est, senatui ac magistratui tantum concederetur, quantum eruditio, leges et aequitas pateretur, episcopis ac sacerdotibus suis maneret honos. Nec monachis negaretur, quod debetur. Horum omnium concors discordia, et eodem tendens uarietas longe fidelius seruaret Reipublicae statum, quam nunc, dum quisque ad se rapere conatur omnia. Ne familia quidem potest consistere, nisi maritus functionis partem





cedat uxori, nisi discrimen sit inter liberos et seruos, et nisi serui quoque non pro iumentis habeantur, sed pro hominibus: postremo nisi discrimen sit inter seruum et seruum, ut, qui liberaliter seruiunt, habeantur indulgentius, ac praemium officiorum expectent libertatem. Dicit hic aliquis: heus diuinator, quid haec ad typographos? Quia nonnullam mali partem inuehit horum impunita licentia. Implet mundum libellis, non iam dicam nugalibus, quales ego forsitan scribo, sed ineptis, indoctis, maledicis, famosis, rabiosis, impiis ac seditiosis, et horum turba facit, ut frugiferis etiam libellis suos pereat fructus. Prouolant quidam absque titulis, aut titulis, quod est sceleratius, fictis. Deprehensi respondent, detur, unde aliam familiam, desinam tales libellos excudere. Aliquanto meliore fronte respondeat fur, impostor aut leno, da qui uiuam, et desinam his artibus uti: nisi forte leuius crimen est, clam minuere rem alienam, quam palam eripere famam alienam, aut sine ui ad quaestum abuti tuo alienoue corpore, quam uitam alterius ac famam uita quoque chariorem impetere. Sed querelae iam dudum satis. Indicandum est remedium. Mitigabitur hoc malum, si principibus ac magistratibus curae fuerit, ut quantum fieri potest, excludantur ociosi, quos potissimum bella mercenaria nobis progignunt: deinde si improbis, quos nec ratio nec pudor cohibet, leges ostendant fustem paratum, ni se uerterint ad meliora: deinde conantibus ea, quae faciunt ad publicam utilitatem, si uiribus destituantur, succurrant praemia, uel a principibus, uel ab episcopis et abbatibus, uel ex aerario publico. Nam a negociatoribus, qui se plerique Mammonae dedicarunt, fortassis improbum sit tale officium exigere. Qui extructo altari sepulchroue, qui suspensa tabula, aut statua posita, sibi promittunt nomen apud posteros, quanto uiuaciorem  
famam





famam hac uia sibi pararent. Ex multis unum exemplum proferam. Vix alius in enarrandis sacris uoluminibus dexterius uersatus est, quam diuus *Ioannes Chrysostomus*, nec alius scriptor magis accommodus his, qui se parant ad munus concionandi. Et scripsit plurima, quorum bonam partem habemus, utcunque uersam, sed plerisque deprauatis, nonnullis etiam admixtis, quae nihil habent *Chrysostomi*. Quanta uero lux accederet sacris studiis, si tantus doctor totus haberetur graecus, et emendatus. Aut certe sic haberemus eum loquentem latine, quemadmodum loquitur graece. Non hic commemorabo, quot modis pereant magnatibus pecuniae, quantum absumant, alea scorta, computationes, profectioes non necessariae, pompae, bella quaesita, ambitio, colax, morio, ludio saltem ex his, quae turpiter pereunt aliquam portionem decidant uel utilitati publicae, uel suae gloriae, uel utrique. *Aldo* haec molienti, quis non fauit eruditorum? Quis non suggessit aliquid, quod illum laboribus tantis imparem subleuaret? Quoties ad illum ab Hungaris ac Polonis missa sunt ultro uetusta exemplaria, non sine honorario munere, ut ea iusta cura publicaret orbi? Quod *Aldus* moliebatur apud Italos, nam ipse concessit infata, quanquam gratiosi nominis titulo adhuc commendatur officina, hoc *Ioannes Frobenius* molitur apud Cisalpinos, non minore studio, quam *Aldus*, nec prorsus infelicitate, sed quod negari non potest, impari lucro. Si causam requiras, ex multis hanc unam esse puto, quod non est idem ingeniorum candor apud nos, qui est apud Italos, sane quod ad rem attinet literariam. Nec enim uereor praedicare, quod sum expertus. Cum apud Italos ederem Proverbiorum opus, homo Batauus, quotquot illic aderant eruditi, ultro, suppeditabant autores, nondum per typographos euulgatos, quos mihi suspicabantur sui futuros.





*Aldus* nihil habebat in thesauro suo, quod non communicaret. Idem fecit *Ioannes Lascares*, *Baptista Egnatius*, *Marcus Musurus*, *Frater Urbanus*. Quorumdam officium sensi, quos nec de facie nec de nomine noueram. Venetiam nihil mecum apportabam, praeter confusam et indigestam operis futuri materiam, idque ex euulgatis duntaxat autoribus. Magna mea temeritate simul utrique sumus aggressi: ego scribere, *Aldus* excudere. Summa negotii intra menses plus minus nouem confecta est, et interim mihi cum calculo malo nondum nota res erat. Hic mihi cogita, quanta pars utilitatis ab futura fuerit, nisi docti libros manu descriptos suppeditassent. In his erant, opera *Platonis Graeca*, *Plutarchi* uitae. Eiusdem moralia, quae sub finem operis mei coeptae sunt excudi *Athaenei* dipnosophistae, *Aphthonius*, *Hermogenes* cum commentariis, *Aristotelis* Rhetorica cum scholiis *Gregorii Nazianzeni*, *Aristides* totus, cum scholiis, commentarioli in *Hesiodum* ac *Theocritum*, *Eustatbius* in totum *Homerum*, *Pausanias*, *Pindarus* cum accuratis commentariis. Prouerbiorum collectio titulo *Plutarchi* rursus alia, titulo *Apostolii*, cuius libri nobis copiam fecit *Hieronymus Alexander*. Erant et alia minuta, quae uel non succurrunt, uel non attinet referre. Horum adhuc nihil fuerat typis euulgatum. Nunc uicissim accipe candorem amici cuiusdam Cisalpini, quem in praecipuis habebam, nec habere desii, quandoquidem amici mores nosse oportet, non odisse. Cum adornarem editionem Venetam, forte uideram apud illum *Suidam*, cuius margines habebant paroemias annotatas. Opas erat ingens, et erant euoluenda plurima. Cupiens igitur hoc laboris lucrifacere, rogavi faceret eius uoluminis copiam uel ad horas paucas, dum puer notulas in meum codicem transcriberet. Iterum atque iterum roganti pernegauit. Cum nullum obtestationis genus non ad-

mo-





mouiffem, nec exorarem, rogabam, num ipfe haberet in animo edere prouerbia, me celfurum perlubenter hoc opus feliciter tractaturo. Deierabat, nihil eſſe tale. Quid igitur, inquam, te mouet? Tandem ueluti tormentis adactus faſſus eſt, haec iam euulgari, per quae docti haecenus fuiſſent uulgo mirandi. Hinc illae lachrymae. Latitant in collegiis ac monaſteriis Germanorum, Gallorum et Anglorum peruetuſti codices, quos exceptis paucis adeo non communicant ultro, ut rogati uel ceſent, uel pernegent, uel aliquo pretio uendant uſum, decuplo aestimatorum codicum. Tandem pulchre ſeruos uel caries tineaeque corrumpunt, uel fures auferunt. Magnates autem adeo non adiuuant ſua benignitate rem literariam ut exiſtiment, nullam pecuniam perire perditius, quam quae in tales uſus confumitur: neque quicquam omnino placet illis, unde non uectigal aliquod tollitur. Quod ſi pari candore principes Ciſalpini proſequerentur honeſta ſtudia cum Italis, *Frobeniani* ſerpentes non tantum ab opibus Delphinis *Aldini* I. de lente feſtinans non minus auri ſibi peperit, quam nominis, utroque dignus: *Frobenius* dum baculum ſemper erectum gerit, non alio ſpectans, quam ad publicam utilitatem, dum a columbina ſimplicitate non recedit, dum ſerpentum prudentiam magis exprimit inſignis ſuis, quam factis; fama potius diues eſt, quam re. Sed digreſſionum iam modus eſto, nunc ad adagionis enarrationem noſtra ſeſe ferat oratio. Trifarum uti licebit prouerbio: primum ſi quando admonebimus, diutius liberandum, priuſquam aggrediare negotium: poſteaquam ſtatueris, tum uelociter peragendum, ut ad conſultandi moram pertineat ancora, ad conſiſtendi cleritatem Delphinus. Huc pertinet *Salluſtianum* illud: Antequam incipias, conſulto: ubi conſulueris, mature facto opus eſt. Quam ſententiam *Ariſtoteles* recenſet, ſexto moralium libro,





bro, tanquam uulgo iactatam: aiunt, inquiring, de quibus iam deliberaris, ea celeriter esse peragenda, cunctanter autem consultandum. Cuius autorem *Bianionem* fuisse testatur *Laërtius*, qui solitus sit admonere: Βραδεως εγχειρειν τοις πραττομενοις, οδ' αν, ελη, βεβαιως τηρωντα διαμεναι, id est, cunctanter aggrediendum negocium, uerum in suscepto constanter perseuerandum: Nec admodum abudit hinc *Mimus* ille, *Publianus* opinor: Diu apparandum est bellum, ut uincas celerius. Item ille: Deliberare utilia, mora tutissima est. Adde iis prouerbium illud εν νυκτι βουλη, id est: In nocte consilium. Praeter ea *Sophocleum* illud in *Oedipo* tyranno: Προειν γαρ οι ταχεις, ουκ ασφαλεις, id est, Periculosa est praepropera prudentia. Addendum his illud *Platonis*, quod alibi citauimus: Qui plus satis festinat initio, ferius ad finem peruenit. Paulo diuersius est, sed tamen ad hanc referendum formam, quod ait *Quintilianus*: Praecox illud ingeniorum genus non temere peruenire ad frugem. Et quod uulgo dicunt, qui pueri adhuc, et uelut ante tempus sapiunt, eos in senectute stultos euadere. Quod *Aetius* approbare uidetur, qui apud *Gellium* ait, sibi iuuenilibus ingeniis itidem ut in pomis immaturis placere acerbiter: nam haec demum maturescere. Porro maturitas tempestiuam affert suauitatem, reliqua ante tempus putrescere. Alter usurpandi modus fuerit, cum admonebimus, affectus animi, rationis uelut habenis reprimendos esse. Si quidem *Plato* animum hominis in tres partitur partes, rationem, iracundiam concupiscentiam, in hoc philosophiae summam sitam esse putat, si affectus pareant rationi non aliter quam regi, cui quidem ob id ipsam sedem in cerebro, uelut in arce, datam existimat. Peripaterici, quorum signifi-  
cei





ceu stimulos quosdam a natura datos existimat, quibus ad uirtutis usum excitemur, quanquam reclamantibus Stoicis, et nominatim *Seneca* in libris, quos ad *Neronem* scripsit, de ira. Putant enim, affectus huiusmodi non modo nihil conducere ad uirtutem, uerum etiam officere: quanquam ne isti quidem inficias eunt, in animo sapientis illius, quem imaginantur, relinqui primos impetus, anteuertere solitos rationi, quos funditus extirpare non queas: Verum ii, ne consequatur assensio, protinus a ratione reiiciuntur. Hoc innuit *Homerus*, cum *Iliados*, primo, *Pallas* a tergo adstat *Achilli*, iamque manum admouentem gladio, coërcet. Igitur uiolentos illos animi motus, Delphinum recte dixeris: ancoram moderatricem sapientiam. *Seneca* scripsit, nulli rei prodesse moram, nisi iracundiae. Imo quicquid impense cupimus, aut adimus, ibi salutaris est mora. *Plutarchus* in apophthegmatis Romanorum narrat *Athenodorum* Philosophum, cum ob senium impetrasset ab *Octauio Augusto* ueniam redeundi domum; admonuisse illum, ut ne quid iratus diceret, faceretue, priusquam uiginti quatuor Graecorum literas apud se nominatim recensuisset. Quo audito respondit, sibi illo adhuc opus esse, quo disceret et tacendi artem, atque hoc praetextu totum annum hominem apud se detinuit. Huc spectat etiam *Terentianum* illud: Vide, ne nimium calidum hoc sit modo. Sunt autem quaedam ingenia, quibus calcaribus est opus: Sunt, quibus freno. Proinde recte ueteres illi a Delphino ancoram complecti uoluerunt, quod oporteat alterum altero temperari, et utrumque cum altero coniungi, quo uidelicet eiusmodi animi habitus existat, qualem *Plato* constari putat ex Musica, gymnasticaque, si pariter exerceantur. Tertia utendi ratio fuerit, cum admonebimus, in omni negotio uitandam praecipitem celeritatem, quod uitii quibusdam ingeniis peculiariter infitum

fitum





fitum est, ut illis omni re quantulacunque mora longa uideatur. Huiusmodi festinationis comites esse solent, error, et poenitentia, iuxta uersiculum illum apud Graecos celebrem: *προπεθεια πολλοις εστιν αιτια κακων*, id est, multis malorum est causa praecipitantia. Hic occinendum nobile illud *Catonis* dictum: Sat cito, si sat bene, cuius mentionem fecit diuus *Hieronymus*, scribens ad *Pammachium* in haec uerba: Scitum est illud quoque *Catonis*: Sat cito, si sat bene, quod nos quondam adolescentuli cum a perfecto oratore in praefatiuncula diceretur, risimus. Meminisse te puto erroris mutui, cum omne Athenaeum Scholasticorum uocibus consonabat: Sat cito, si sat bene. Haecenus *Hieronymus*. Quadrabit et in illos, qui praepropere famam affectant, maluntque paratam ac magnam, quam solitam et perpetuam. Solent enim praecocia subito flaccescere. Quod autem paullatim accrescit, durable est. Horatius,

Crescit occulto uelut arbor aeuo

Fama *Marcelli*

Et *Pindarus*, in *Nemeis* hymno VIII, *Αυξεται δ' αρετα χλωραις εερσαις ως οτε δενδρον αισσει, σοφοις ανδρων ασροβησαι εν δικαιοις τε προς υγρον αιθερα*, id est: Augescit autem uirtus, ueluti cum arbor uirenti rore surgit, sapientes inter uiros sublata iustosque, ad liquidum aethera. In summa, quicumque uel socordia peccant, uel immoderato imperu, iis illud *Octauii Caesaris* *σπευδε βραδεως*, simul symbolum illud olim *Titi Vespasiani*, nunc *Aldinum* oportebit in memoriam prouocare, ut Delphini atque anchorae meminerint



PLINIUS



*PLINIUS LIB. II, EPIST. I.*

VIVIT ALDVS VIVETQVE SEMPER  
ATQVE ETIAM LATIVS IN MEMORIA  
HOMINVM ET SERMONE VERSABITVR  
POSTQVAM AB OCVLIS RECESSIT



LIBRIS SIBI M. EPIST. A.

VIVIT ALDVS VIVETQVE SEMPER

ATQVE ETIAM VIVAT IN MEMORIA

HOMINVM ET SIT VONNE VERSABITVR

POST QVAM AB OGVALIS RECESSIT











Biogr. erw. D. 312





B.  
D.